



Ec. 95.

CDL3355

CASPARIS  
PRAETORII,  
CONSVLIS OLIM PALAEO-  
BRANDEBURGENSIS,  
**CARMINA,**  
QVAE EXSTANT  
**SACRA,**  
IN  
FESTOS ET DOMI-  
NICOS TOTIVS  
ANNI DIES:  
QVAE  
LVCI PVBLICAE DENVO EXPOSVIT,  
VITA AVCTORIS PRAEMISSA,  
**IO. CASPAR. CARSTED.**

---

PROSTANT IN OFFICINA WOHLFELDIANA,  
BIBLIOPOLAE BRANDENBURGENSIS  
MDCCXXXII.

3



DEDICATIO.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO,  
DMN. ADAMO GANS,  
LIBERO BARONI IN PVTLITZ,  
ET MARCHIAE BRANDENBURGENSIS  
ARCHIMARSCHALCO,  
DOMINO SVO CLEMENTI.

**J**am meus hic lucis tandem liber exit in auras,  
*Qui pia de sacris carmina rebus habet:*  
*Hactenus obscuris iacuit proiectus in umbris,*  
*Et veritus Momum ne pateretur erat,*  
*Qui vocat in crimen, fuerat quod laude vehendum,*  
*Nec bene, praeterquam quod facit ipse, probat.*  
*Nunc vero neruos animi viresque resumit,*  
*Auspicio fretus, Vir Generose, Tuo.*  
**P**utlitie Tu gentis honor, Tu summa Tuorum  
*Gloria, Tu nostri cor oculusque Ducis.*  
**T**e defensorem Musis elegit Apollo,  
*Lucis in adspectum vix ubi natus eras.*  
**L**aeta Tibi Charites certatim dona tulerunt.  
*Te puerum gremio cum tenuere suo.*  
**E**rgo Tuæ fidei penitus se tradit & orat,  
*Esse librum posthac ut patiare Tuum.*  
**Q**uod si concedas, Momi conuicia spernam,  
*Tu vindex monstri strenuus huius eris.*  
**S**i quandoque capis doctorum carmina vatum,  
*Ortus in ignota quos regione tulit;*  
**C**ur patriis nolles decerpere vitibus vuas,  
*Atque datas proprii sumere ruris opes?*  
**V**iue nec Aonides indignum crede tueri,  
*Hac ope qui seruat Numina, morte caret.*  
**CASP. PRAETORIVS, Putlicensis.**

**C**ASPARIS PRAETORII  
carmina sacra, quæ centum  
abhinc eoque amplius an-  
nis primam lucem viderunt,  
cur ex tenebris suis in adspectum rur-  
sus producam, interrogabit, vt opi-  
nor nemo, qui de Poetis iudicare  
& suum cuique locum tribuere pot-  
est. Non enim in postremis ille iacet  
eorumque similis videtur, qui ex  
ieiuno ac fame & macie quadam  
enecto ingenio suos protrudunt fe-  
tus; sed ita succi & caloris poetici  
plenus est, vt cum optimo quoque  
non suæ tantum ætatis, sed superio-  
rum quoque & sequiorum tempo-  
rum æquiparari possit. Testati hoc  
sunt Viri longe clarissimi & in ipsa  
re poetica facile principes, quorum  
frequenti ex numero vnum mihi  
Taub-

Taubmannum pro multis adpellare  
liceat, Prætorium nostrum Sabino  
& Ouidio non dicam assimilantem,  
sed propter castam scribendi ratio-  
nem ac materiam tantum non præ-  
ferentem. Quod ut clarius patescat,  
nec vanitatis nomine arguatur ; ad-  
scribam ipsa eius elogia , quorum  
alterum in libris Elegiarum hisce ver-  
bis expressum exstat :

*Simplicitas expers fuci , candoris imago  
Sancta , nitens prisci Teutonis ore fides ,  
Prætori numeros numeris æquare Sabini ,  
Non rude propositum , nec sine mente , tenent .  
Scilicet eiusdem Brenni urbis ciuis uterque ;  
Fungitur hic etiam Consulis officio :  
Ille tamen propior simulanti vana Poetæ ,  
Quem tulit irriguis Sulmo pelignus aquis ;  
Hic faciles seruans elegos nitidumque colorem ,  
Omnia si demas impia , Naso tibi est .*

Alterum, quod de libris Epigramma-  
tum scripsit, hoc est :

*Quæ Brandenburgo misisti carmina , legi :  
Iam , puto , censori quid mibi visa , rogas ?*

*Rem dicam : molli decurrunt tramite cuncta,  
Rinulus ut properat lene fluentis aquæ.  
Nec verba aut numeri strepitus imitantur  
inanis,*

*Rerum succus inest & calor atque color.  
PRÆTORI, sedem tu patria in urbe Sabini,  
Sedem habet in versu musa Sabina tuo.*

His ego de causis & quoniam de Schola pariter ac Ciuitate Palæo-Brandenburgensi præclare meritus est, impetrare a me facile potui, qui vitam eius (quod nemo adhuc fecit, nisi quod Cl. SCHLICHTIVS nonnulla de eo in Historia sua de fatis Scholæ nostræ conscripta commoret,) plenius colligerem eandemque, quantum licuit, huic iterato carminum sacrorum libello præmitterem, litteris superadditis B. L. ad auctoris opera, quæ in fine recensentur, ablegando.

II. A Patria igitur ut exordiar, saepius se Putlicensem scripsit, quod oppidum in Prignicensi Marchia situm

tum est, ad Generosissimos Viros de  
**GANSEN** spectans : ex qua illustri  
Familia illis quidem temporibus  
gloria & honoribus florebant 1)Ada-  
mus, qui Septemuiri Brandenburgens-  
sis nomine electioni Imperatoris  
Matthiae interfuit, & veluti summus  
Marchiae Vicarius sacro fonti, quum  
salutari eius aqua **FRIDERICVS**  
**VVILHELMVS**, in spem regni  
susceptus, adspergeretur, testis adstitit;  
atque huic **SACRA** sua **CARMINA**,  
quæ iam prelo exierunt, dedicauit:  
2) **VVolfgangus Seuerus**, Dux mili-  
tum Brandenburgensium, cui felici-  
cem expeditionem aduersus Gallos  
precatus (a) deque reditu gratulatus  
est; (b) eidemque carmen Christi  
natalitium inscripsit (c) & tandem  
obitum eius doluit. (d) 3) **Georgius,**  
**IOANNI GEORGIO** a Confiliis,

)( 4

sub

(a) L.2. Eleg. p.58. sq. (b) L.I. Epigr. p.ii. (c) Ibid.  
p. io. (d) L.III. Epigr. p. 4.

sub cuius nomine carmen exstat de  
S. Angelorum excubiis 1574. compo-  
situm: (e) quod iam huic opusculo  
inserui; 4) Wedigo Reimarus, cui  
duos Epigrammatum libros ad-  
scripsit.

III. Sed redeundum ex diuerticulo  
est. Pater erat IOACHIMVS Schulß,  
(quod nomen in Prætorii commu-  
tauit, more tum eruditis recepto)  
& Iudicis munia Putlicii sustinebat (f)  
vitam adhue 1577. agens, quippe cu-  
ius præter ceteros consilio locum  
hunc ob pestilentiam eodem anno  
graffantem fugit; (g) Mater HIPPO-  
LYTA Ranzen, quam morte sibi  
adhuc iuueni ereptam luxit & piarum  
admonitionum, quas dederat sibi  
alias scholas frequentaturo, gratus  
meminit. (h) Fratrum alter IACO-  
BVS in terris Mecklenburgicis Chla-  
drumi

---

(e) T. VI. Schol. n. 3. (f) L. I. Epigr. p. 17.  
(g) Eleg. L. III. p. 126. (h) Epigr. L. I. p. 18.

drumi Præco Diuini Verbi vltra triginta annos exstítit, (i) Sobolemque ex se reliquit; (k) alter vero DANIEL, felicis ingenii iuuenis, ex turri Putlicensi, quam adscenderat, præceps in terram factus animam efflauit, quem ille casum grauiter deplorat: (l) Tres autem Sorores totidem Sacerdotibus nuptæ fuerunt. (m)

IV. Ceterum CASPARVS noster patriam scholam puer frequentauit; inde cum IOACHIMO GARZAEQ, Cognato suo, Pritzvaldiæ litteris operam nauauit; (n) posthæc nouum Brandenburgum (o) prope Tollensee delatus est & abhinc Academiam Rostochiensem mari petiit circiter annum 1572. magno cum vitæ periculo. (p) Tum Vitebergam discessit, Garcæum comitem atque

( ५ )

so-

- (i) Epigr. L. II. p. 38. (k) L. III. Epigr. p. 47.  
 (l) L. Eleg. l. 2. p. 75. (m) Epigr. l. I. p. 17. (n) L. III.  
 Epigr. p. 37. (o) L. I. Epigr. p. 18. (p) L. III. Eleg.  
 p. 145. & Adopt. p. 65. it. T. VI. Schol. n. 30.

socium studiorum suorum secutus:  
 atque hoc familiarissime vsus , nec  
 abeuntem solum 1575. ad Rectoris  
 Palæo-Brandenburgensis munia ele-  
 ganti carmine prosecutus est; (q) sed  
 epithalamium quoque, quod flagita-  
 uerat Garcæus , (r) & epicedia in  
 liberorum mortem scripsit (s) deni-  
 que eius ipsius curriculum & laudes,  
 quum immaturo fato cessisset, lugu-  
 bri carmine decantauit. (t)

V. Idem hic Garcæus, cum a scho-  
 lasticis ad forensia subsellia transiret,  
 commendasse eum Senatui vide-  
 tur, (u) sibi vt successor daretur : id  
 quod etiam factum anno 1576. ex quo  
 tempore magna animi constantia  
 vitam scholasticam tolerauit vsque  
 1691. molestias eius probe expertus,  
 quas non minus vere, quam elegan-  
 ter hisce versibus complexus est: (x)

Vt

---

(q) Eleg. L. II. p. 56. (r) L. I. Eleg. & L. II. p. 70.  
 (s) Eleg. L. II. p. 86. 88. L. III. p. 114. & 116. (t) L. III.  
 Eleg. p. 132. (u) L. I. Eleg. (x) L. I. Eleg. p. 25.

Ut miserum longis traducit luctibus æuum,  
 Si quem pistriini grande fatigat onus;  
 Sic cui preceptis labor est formare iuuentam,  
 Dura quibus semper fata prematur habet.  
 Et quamuis multos patiens desudet in annos,  
 In nihilum meriti spes tamen omnis abit:  
 Imo venenæ & furiæ exponitur ira,  
 Cogitur & lingue fulmina dira pati.  
 Id satis experior, ter sex dum pæne per annos

In ludi tardas puluere duco moras.  
 Quos rebar fidos, contra me crimina singunt,  
 Et nequit insonti qui nocuisse, dolet.  
 Quid cuculos referam? quid moschos? quidue narillos?  
 Qui nostram experti sæpe fuere fidem.  
 Quos iuui, quos ornaui, quos præiuus omnes  
 Musarum duxi per charitumque domos,  
 Scilicet hi fortis accidunt ad vulnera vires,  
 Et rabido morsus nunc mihi dente ferunt.  
 Crinibus ergo meis nix interfusa relucet,  
 Ante senex iustum cogor & esse diem.  
 Felix, qui potuit semel his emergere curis,  
 Pacis & in tuto cor recreare sinu.  
 Nam longe melius, paruo se condere tecto,  
 Et sicco duram soluere pane famem,  
 Quam spe magnifici captare salario lucri,  
 Et tales inter munus obire canes.

VI. Haud multo post aduentum  
 suum in hanc urbem MARGARE-  
 THAM LYSANDRAM (Lizmannin)  
 viduam coniugem duxit; quibus de-  
 nuptiis sibi ipsi gratulatus est (a) &  
 ab amicis gratulationes accepit: (b)  
 eaque annis decem exactis sine prole  
 (quod ætati eius prouectiori tribuit(c))  
 defuncta, in cuius obitum ille poe-  
 ticum aliquod colloquium confe-  
 cit; (d) Virginem sibi BARBARAM,  
 Consulis VALENT. SCHVVARZII  
 filiam, iunxit 1588. quod connubium  
 votis suis Amici ac Fautores non  
 minus exceperunt. (e) Neque hæc  
 tamen primis annis prolem ipsi de-  
 dit; (f) an sequioribus? dubito. Su-  
 perstes autem ei sunt, quippe 1621.  
 decedens d. 20. April. sepulta est in  
 facello baptismali, quod vocant,  
 uti lateres cocti & inscripti hic testi-  
 ficantur.

VII.

---

(a) Eleg. L. I. p. 10. (b) Adopt. p. 65. (c) L. I.  
 Epigr. p. 6. (d) Epigr. l. 3. p. 6. (e) T. I. Schol. n. 25.  
 Adopt. p. 73. (f) L. I. Epigr. p. 6.

VII. Anno 1591. quum in eo esset,  
 vt noua hæc Schola Salderiana in-  
 auguraretur, lampada M. CASPARO  
 HAVELANDO, Brandenburg. tra-  
 dens in Senatorum adscitus nume-  
 rum est d. 16. Martii (scilicet ætas eius  
 ingrauescens otium maius desidera-  
 bat) quos ipsi honores IOACHIMVS  
 BVCHHOLZIVS perpetuos ac feli-  
 ces esse iubet. (g) Dehinc Assessor  
 Scabinatus (h) & denique 1608. Con-  
 sul est creatus, VALENTINO ME-  
 LASIO ad fine applaudente, (i) sed  
 Prætorio indignante, vt ex sequenti  
 Epigrammate quasi appareret: (k)

*Vlla meas nondum malas lanugo tegebatur,  
 Quando medusæos cœpi gustare liquores:  
 Tunc gaudere mibi, tunc exsultare licebat  
 Et sine curarum deducere morsibus annos;  
 Ita sed occubuit motu properante voluptas.  
 Sum factus primo iuuenum ludique magister,  
 Brennus ubi veterem dux olim condidit urbem.  
 Inde Senatorem me curia nostra creauit  
 Et iussit longos & duros ferre labores.*

Audio

(g) L. II. Epigr. p. 72. (h) Adopt. p. 74. (i) Eleg.  
 I. 3. p. 140. (k) Ibid. p. 129.

*Audio nunc tandem (quo fata nescio) Consul  
Et miserum penitus cumulata negotia sorbent.  
Sit Consul, quicumque volet, sit Plancus et Ancus,  
Tu DEVS o sacris quæso me redde camenis.*

Vixit autem posthac non amplius  
quatuor annis, quandoquidem ani-  
mum Deo; corpus, quod magnum  
atque procerum fuit, (l) terræ 1612.  
reddidit. (m)

Vlll. Quod postremo ad versus  
attinet, quos pepigit & in vulgus emi-  
sit, quamquam longe rarissimi sint  
facti, & vix vsquam coniuncti repe-  
riantur, sunt isti:

I. *Carmina Sacra* in dies festos &  
dominicos, quæ nunc iterum pro-  
deunt, omissis, quæ in limine ex-  
stabant, de Poeta nostro iudiciis.

II. *Epigrammatum* libritres, quo-  
rum duo priores Viteberg. cl b ciii.  
exierunt, quibus additus est liber  
*Ado-*

---

(l) L. I. Epigr. p. 8. (m) Hæc ex curiæ nostra  
documentis.

*Adoptiuorum*, carmina continens  
diuersis temporibus in gratiam  
Prætorii decantata; tertius vero  
cl<sup>o</sup> b<sup>c</sup> vi. ibidem impressus est.

III. *Elegiarum* libri tres, eodem  
loco cl<sup>o</sup> b<sup>c</sup> viii. typis exscripti.

IV. *Miscellaneorum* libellus eodem  
anno & loco vulgatus & Senatui  
Palæo- Brandenburg. dicatus.

Tantum de vita CASPARI PRAE-  
TORII, quem ignorare ciues nostri  
merito non debent. Quod si hæc  
eius carmina quibusdam minus pla-  
cent; me certe (non enim diffitebor)  
magnopere delectant & in eam  
prorsus sententiam deducunt, vt  
existimem, lectionem eorum & imi-  
tationem christianæ iuuentuti per-  
utilem fore perque salutarem. Dab.  
Palæo, Brandenburg. d. X. Febr.  
cl<sup>o</sup> b<sup>c</sup> xxii.

Er-

# Errata potiora.

Pag.	2.	Linea	25.	pro	victis	lege	victus.
4.	-	25.	-	quamuis	-	quam vis.	
6.	-	8.	-	dapius	-	dapibus.	
7.	-	1.	-	dilicta	-	dilecta.	
-	-	5.	-	carmen	-	carnem.	
16.	-	13.	-	quaæ	-	qua.	
20.	-	3.	-	profundus	-	profundis.	
21.	-	17.	-	tempio	-	templo.	
23.	-	7.	-	tardo	-	tarde.	
-	-	8.	-	inuentos	-	in ventos.	
-	-	14.	-	lepræ	-	lepra.	
50.	-	8.	-	ehelyn	-	chelyn.	
-	-	27.	-	tenero	-	tenera.	
52.	-	8.	-	redeunti	-	redeunte.	
59.	-	16.	-	mollibus	-	molibus.	
69.	-	13.	-	nostræ	-	nostra.	
76.	-	4.	-	cordis	-	chordis.	
-	-	23.	-	tot quaæ	-	totque.	
80.	-	II.	-	mittisque	-	mitisque.	
95.	-	17.	-	feminis	-	se minis.	
103.	-	5.	-	nostras	-	nostris.	
108.	-	16.	-	reuocato	-	reuocabo.	
115.	-	8.	-	deficiente	-	deficiente.	
-	-	19.	-	ad	-	at.	
116.	-	2.	-	statueens	-	statuens.	
120.	-	16.	-	adulterit	-	adulterii.	
-	-	19.	-	ebribus	-	ebrius.	
130.	-	13.	-	in hospita	-	inhospita.	

SA-



# SACRORVM CARMINVM

## *Liber Primus.*

*Dominica I. Aduentus, Matth. 21.*

**Q**uem DEVS in verbo toties promiserat orbi,  
Expleto demum tempore CHRISTVS adest.  
Excute nunc igitur veteres Ecclesia luctus,

Et Regem læta suscipe voce tuum:  
Pande fores cordis, gressus ut ducat in illas,

Præ reliquis ipsi nam placet iste locus.  
Non venit instructus gemmis aut molibus auri,

Vilis, inops, asina vester inerte, venit.  
Haud tamen ob tenuem cultum patiare moueri,

Hoc bona sub cultu paupere multa latent.  
Nam quæ non poterant hominis virtute parari,

Adfert Rex nobis ille salutis opes.  
Atque salutares lucis producit in auras,

Vincla sub arenti quos tenuere lacu.  
O age proiectis spargamus compita ramis,

Tegmine sit posito sternere cura vias.

A.

Sol-

Soluamus pariter faciles in carmina linguas,  
 Omnis & in cœtu vox Hosanna sonet.  
 Hunc o felici regem, DEVS, affice sorte,  
 Fac bene succedat, quod meditatur opus.  
 Qui se fert Domini lapsis in nomine rebus,  
 Est meritis dignus , dignus honore coli.

## SIGNA NOVISSIMI DIEI.

*Dominica II. Aduentus, Luc. 21.*

**S**ol abit in tenebras , fulgentes Cynthia bigas  
 Subtrahit, insolitas dat noua stella faces.  
 Pristina vis cœli sensim labefacta recumbit,  
 Icta tremit tellus motibus, vnda sonat.  
**A**pproperant diri longis e finibus hostes,  
 Incutiunt nobis rumor & arma metum.  
**V**is iniusta viget, gentes sub mole premuntur,  
 Omnibus est pietas pulsa fidesque locis.  
 Propterea vultu miseri quounque mouemur,  
 Anxietas tristi verbere corda quatit.  
**S**i quid adhuc igitur longe distare putatur ,  
 Ultima quippe dies non procul esse potest.  
**T**empus adest veris, gemmas vbi concipit arbor,  
 Signa sed occurunt hæc ubi, CHRISTVS adestr.  
**T**olle caput gens sancta , tibi quæ gaudia reddat,  
 Speratum toties mox dabit hora diem.  
**C**orde sed illecebras , & victis eiice curam,  
 Ne te lux subitis opprimat ista malis.  
**N**am veniet, qua quis minime sperauerat, hora,  
 Tunc erit instructus qui bene, saluus erit.

*Piscatio*

*Piscatio collata cum Regno Christi, in die  
St. Andreæ Apostoli, Matth. 4.*

**S**I licet, & fas est, paruis componere rebus  
Maxima, designat Christi piscatio regnum.  
Instar habet mundus pelagi, quod, turbine motum  
Horrifono, cladem cunctis lethumque minatur.  
Hic varii pisces, humano sanguine creti  
Quos referunt, latosque sinus fluctusque pererrant,  
Cura quibus ponto captas educere prædas  
Sunt, populis verbi qui tradunt sensa Ministri,  
Hos vehit ipsorum munus, ceu nauis, & omnes  
Excipit irarum fremitus, odiique procellas.  
Ipse DEI natus, qui temperat omnia nutu,  
Puppe sedet, clauumque tenet, cursumque gubernat.  
Retia doctrinæ, blandis quæ pectora mulcet  
Vocibus, æquoreas tandem mittuntur in vndas.  
Lex partes conti præstat, pelagusque fatigat  
Ictus, & pellit trepidos ad littora pisces.  
Sed quia se furtim proui melioribus addunt,  
Fiet ab aligeris horum discretio turbis,  
Tunc vbi postremo lux vltima fulserit oreu.

Quisquis pescator pelago desudat in isto,  
Conferat assidue promtas ad retia vires,  
Quodque licet, numerum maiorem pescibus addat.

Felices, mundi fluctus quicunque perosi,  
Ad cæli sese patiuntur littora duci:  
Turpia qui vero sectantes gaudia, verbi  
Retia transiliunt, fundo morientur in imo,  
Mundus enim lethi sinus est, gorgesque malorum,  
Patria curarum vallis perfusa querelis:

Vita sed in cœlis regnat, pax aurea ridet,  
Gaudia florescunt, sanctorum turba triumphat.

**JOHANNES, IMAGO CONSTANTIS  
Ecclesiæ Doctoris.**

*Dominica III. Aduentus, Matth. II.*

**Q**uod sis Messias & mundi, CHRISTE Redemtor,  
Quæ facis, indiciis pluribus acta probant.  
Nam cæcis visum reddis claudisque vigorem,  
Et caput oppressos morte leuare jubes.  
Obice præclusas recludis vocibus aures,  
Te celerem carpit lepra jubente fugam.  
Et quibus incutunt vitæ delicta timorem,  
Voce tua pauido corda timore leuas.  
Hæc saluatoris venturi signa canebat,  
E thalamo vates natus Amoze tuo.  
Nouerat aduentum Christi Baptista, volebat  
Discipulis potius consuluisse suis.  
Ite, refert igitur, proprias hunc poscite voces,  
Vos hominum melius nemo docere potest.  
Hic expressa fuit veri præconis imago,  
Nunc quales raro secula nostra ferunt.  
Maxima pars Regum sibi mollia quærit in aulis.  
Et calamo stultæ plus leuitatis habet.  
Blanditias vero Johannes spreuit & iras,  
Et rupes, quamuis nulla mouebat, erat.  
Sed duxit melius caput in discrimina poni,  
A recti norma quam reuocare gradum.  
Quem fuit idcirco digitoque sonoque professus,  
Hunc agnum vere credimus esse DEI.

Christe

Christe Redemptorem te suspiramus ad vnum,  
Crimina tollendi vim quia solus habes.

## OFFICIVM JOHANNIS BAPTISTÆ.

*Dominica IIII. Aduentus, Job. 1.*

**S**Acrorum leges extra Baptista vetustas,  
Dogmatis insolitum quando mouebat opus;  
Et resipiscentes lustrali spargeret vnda,  
Expediens vitæ dexterioris iter:  
Conveniunt templi Solymis qui jura tuentur,  
Et nouitas rerum quid velit ista, rogan?  
Quisque sit exquirunt? Is non, quæ vera, negauit,  
Haud ego, me Christum gloriō esse, refert.  
Esse nec Heliam, fungi nec munere vatis,  
Fatidico Moses quem sacer ore canit.

Vox ego longinquas deserti persono valles,  
Estque mihi Domino cura parare viam,  
Qui licet in cœtum post me vestigia ponat,  
Natus ab æterno me tamen ante fuit.  
Ipse lauo sumta credentes fluminis vnda,  
Igne sacri mentes Flaminis ille lauat.

Non ego sum dignus, cui calceamenta resoluam,  
Stirps ego mortalis semenis, ille DEL.

Johannes igitur quali sit munere functus,  
Christus & exhibitus quod sit in orbe, pater.  
Hunc Judæ tibi nobiscum suscipe Regem,  
Quem tibi promittas hoc sine, nullus erit.

*In Feste Natiuitatis Christi, Luc. 2.*

**C**oncederat Judæ sceptrum regnique potestas,  
Et vis Augustum jam penes omnis erat.

Nascitur en Siloh parua Dauidis in vrbe,  
     Ille piis votum gentibus, ille salus.  
 Nascitur obscuris stabuli contemptus in vmbbris,  
     Ex quo lux primam duxit oborta facem.  
 Cuius opum cunctos recludit copia fontes,  
     Nos propter stipulas vilis inopsque premit.  
 Paruulus intactæ Genitricis ab vbere pendet,  
     Qui dapius, viuit quidquid in orbe, fouet.  
 Nunciat hæc coelo veniens pastoribus ales,  
     Mos seruare quibus nocte per arua greges.  
 Imo cohors superum totam se soluit in hymnos,  
     Et suavi laudes concinit ore DEO.  
 Justa quod irarum cohibens incendia, letho  
     Siuerat humanum non periisse genus.  
 Optat & in terris lætam florescere pacem,  
     Inprimis animas quæ pretiosa beat.  
 Utque DEI iussis hominum subiecta voluntas,  
     Nil nisi quod recti norma requirit agat.  
 O homo, te potius plausum decet edere, Christus  
     Non quia Spiritibus, sed TIBI factus homo.

*Hymnus de Nativitate Christi, e Germanico  
 Lutheri redditus.*

**N**ate DEI, ferimus grato tibi pectore laudes,  
     Assumto quod sis corpore natus homo.  
 Te pia mortali peperit sine femine mater,  
     Namque fuit genitrix quæ tibi, virgo fuit.  
 Totius idcirco miratur regia cœli,  
     Plaudit & Angelicus te celebrando Chorus.

Tu

Tu dilicta tui, tu patris es vnica proles,

Siderei princeps deliciumque poli.

Nunc tamen abiecas tibi dant præsepia cunas,

Duraque molliculo corpore fœna premis.

Induis & fragilem nostro cum sanguine carmen,

Qui DEVS æternæ dona salutis habes.

En, precor, immensi quem non capit orbita mundi,

Virginis angusto clauditur ille sinu.

Et teneros pueri seſe collegit in artus,

Qui fouet arbitrio cuncta regitque ſuo

Prodit ab æterno demiflum lumine lumen,

Quod radios toto ſpargit in orbe nouos,

Quod media densas remouens in nocte tenebras,

Pignora nos veri luminis eſſe facit :

Ille DEI natus, totum qui ſuſtinet orbem,

Orbis in ærumnas exiliumque venit,

Sedibus ut patriis demens quos expulit error,

Imperio poſſit reſtituiſſe ſuo.

Pauperie premitur, cum frigore ſuſtinet æſtum,

Jam ſitis eſt illi, jam toleranda fames.

Vt nos magnificis cœlorum dotibus auctos,

Angelicis faciat cætibus eſſe pares.

Omnibus his ſumnum nobis teſtatur amorem,

Quo beat humanum paruulus iſte genus.

Ergo pii lætis complent jam vocibus auras,

Atque DEO grates tempus in omne canunt.

### *In natalem Christi Salvatoris.*

**J**Am mihi fas ſacri meditari carminis orſum,

Atque pia Christo condere voce melos.

Nam redit iste dies, cœli quo culmina liquit,  
 Et puer in carnes se tulit ille meas.  
 Quoque volens miseris lapsam reparare salutem,  
 Materno jacuit vilis inopsque sinu.  
 Hinc quia dependet nostra spes vnica vita,  
 Nescio, mens secum quod mea fingat opus.  
 Impetus est, teneris Christi succedere cunis,  
 Quas locus in duro gramine spretus habet.  
 Hic ego pastores inter cœlique cohortes,  
 Audiar excelsa reddere voce sonos:  
 Suggere felicem mihi Calliopeia vigorem,  
 Non nisi jucundum res bona carmen amat.  
 Quas tibi commemorem, proles ô regia, laudes?  
 Quid tibi, Christe, prius posteriusue canam?  
 Exsuperat longe nostras tua gloria vires,  
 Humana dici nec satis arte potes.  
**Tu, DEVS,** immoto fundasti cardine mundum,  
 Eque tua passim luce theatra nitent.  
**Fulgida legitimo** voluuntur sidera motu,  
 Et faciunt certas irrequieta vices.  
**Aureus Hesperiis Phœbus** jam mergitur vndis,  
 Exhibit ablatos jam reuocatus equos.  
**Luna præst** nocti pontum conturbat Orion.  
 Syrius est æstu noxius, hœdus aquis.  
**Tu** liquido densas compellis in aethere nubes.  
 Tu nitidum puro fundis ab axe diem.  
**Grando, niues,** pluuiæ, tonitru, ros, fulmina, venti,  
 Arbitrio veniunt diffugiuntque tuo.  
**Ætheris e motu** terræ variatur imago,  
 Et nouus assuetas alterat annus opes.

Omnia



Omnia difficiili luctu quasi mersa videntur,

Algida subiectos nix vbi spargit agros.

Mox tamen Arctoum remeat cum Phœbus ad axem,

Lætitiae species omnibus vna redit.

Quæ stabat gelidis prius exanimata pruinis,

Arbor honoratas explicat alta comas,

Parua quibus teneræ supponunt tecta volucres,

Et repetunt hilares garrulitate sonos.

Læta per immensos funduntur pascua tractus

Altus habet collis gramina , vallis habet.

Hic pecudes læto videas clamore vagari,

Hic videas teneros luxuriare greges.

Cætera quæ rabies animalia sævior vrget,

Abdita siluarum lustra tenere jubes.

Nocte quidem totos peragrant indagine saltus,

Luce tamen , lateant in quibus, antra petunt.

Tu potes indomitos nutu frenare leones,

Tu potes vrsorum vi cohibere minas.

Te lupus & validi summis in montibus apri,

Te vagus in mediis piscis adorat aquis.

Quidquid habet tellus, quidquid mare, quidquid o-  
lympus,

Ante thronum sese curuat id omne tuum.

Quid tamen illud erit, quod te, Rex maxime Re-  
gum,

In tali videam decubuisse loco ?

Hicne tibi nitidis collucent atria gemmis?

In stabulo sedes num tibi Regis erit?

Da proceres famulosque tuos, pinguesque caballos,

Imperii Princeps excere sceptræ tui.

A §

Splendi-

Splendida consurgat læto tua regia cultu,  
 Thesauros eadem luxuriosa ferat.  
 Quam male sed tantum referunt hic omnia regem,  
 Nullius hic luxus copia, luctus adest.  
 En iacet obscuris stabuli contemtus in vmbbris,  
 Lumina de cuius lumine mundus habet.  
 Qui fuerat poni precioso dignus in ostro,  
 In duro cunas gramine nudus habet.  
 Pauperie mersum tenuis fortuna coërcet,  
 Copia de cuius fontibus omnis abit.  
 Nemo venit blanda puerum qui voce saluter,  
 Nemo semel, cuius sit puer iste, rogar.  
 Indigit officiis, fletu quod sëpe fatetur,  
 Affectus nulli sed pietatis inest.  
 Mitior est brutis sensu, præcordia quorum  
 Mota repentina contremuere metu.  
 Hic asinus flexo, bos illic poplite nutat,  
 Nosse creatorem visus vterque suum.  
 Et ne forte graues inducant frigora noxas,  
 Ore dato pueri membra tempore fouent.  
 Nec genitrix operæ parcit, fidoque labori,  
 Officio quamuis ipsa iuuanda foret.  
 Jam leuat e stipulis, charis jam sustinet vlnis,  
 Jam nudum gremii tegmine condit onus.  
 Jam præbet tenero fugendas ore papillas,  
 Atque DEVM parui munere lactis alit.  
 Commoueant alios vasti miracula mundi,  
 Mira quibus sane res nouitatis inest.  
 Me DEVS, humanos qui se collegit in artus,  
 Inque sinu posuit virginis ossa, mouet.

Cælicus

Cælicus attonitas hic fert exercitus alas,  
 Astra pauent, tellus suspicit, aura tremit.  
 Nam quid inauditum magis, & mirabile dictu,  
 Quam fragili natum Numine carne tegi?  
 Naturasque duas uno sic foedere jungi,  
 Nullus ut has possit dissoluisse dies.  
 Quod fuit ante, manet, quod non fuit, incipit esse,  
 Jamque puer binæ semina stirpis habet.  
 Scilicet hinc omni mea mens pendebit ab æuo,  
 Hoc vnum semper quod meditetur, erit.  
 Singula scrutari non fas mihi, singula verum  
 Mirari, pietas & celebrare jubet.  
 Sic tamen in nostras seſe demittere curas,  
 Et tolerare DEVS fata maligna potest?  
 Idque reos propter violati Numinis hostes,  
 Debuerat stygiis quos abolere vadis?  
 Nos sumus heu prauis, qui fas abrupimus, ausis,  
 Et summum contra mouimus arma DEV M.  
 Cur non ergo polus, celeres resolutus in ignes,  
 Dira repentino tela facesque jacit?  
 Nosque tenebroſas Orci deturbat in umbras,  
 Horridus in prauos ius ubi Tortor habet?  
 Parcere sic iræ potuit iustoque furori,  
 Qui toties per nos crimine læſus erat?  
 Ira sed instabiles abiit diffusa per auras,  
 Nec furor e cœli, sed fauor arce venit.  
 Ne dubites, oculos huc ad præsepia vertas,  
 His caput & nostræ gemma salutis inest.  
 Hic dilecta Patris, Soboles Patris vnica, nobis  
 Sidereo cœli culmine missa, iacet.

O immensa

O immensa fides ! ingens & pectoris ardor  
 Attingit nemo cuius in orbe gradum !  
 Non est quippe suos contra qui pugnet amicos ,  
 Et sobolem , rupes sit nisi , mater amat .  
 Sed DEVS in mundo cunctos transcendit amores ,  
 Hostibus & , nemo quos amat , ille fauet .  
 Rem probat effectu , mutat quia munere pœnas ,  
 Et dignis tristi clade , ministrat opem .  
 Quid melius ? cœlum quid majus munere Nati ?  
 Quid turpi mundus crimine peius habet ?  
 Mittitur ecce tamen peruersum Natus in orbem ,  
 Criminis & vacuuus crimine gestat onus .  
 Quisquis es , & vitæ gaudes contingere portum ,  
 Huc age nauigii dirige vela tui .  
 Nam bona recludunt Christi cunabula fontem ,  
 Vnde salutiferas vena refundit aquas .  
 Et recreat lœta mœstos aspergine sensus ,  
 Tritaque viuifico corda liquore rigat .  
 Sæpius insomnis nocturnas exigis horas ,  
 Multaque fers terris tædia , multa mari .  
 Solis ab occasu solis contendis in ortum ,  
 Ut tibi , momento quod rapit hora , pares .  
 Cur igitur nolles aures prævertere cursu ,  
 Hic Puer æternas ut tibi ferret opes ?  
 Is tibi conciliat patrem , noxasque remittit ,  
 Et purum statuit criminis ante DEVVM .  
 Pro tenebris lucem , vitam pro funere reddit ,  
 Pro styge cœlestes dat tenuisse domos .  
 Quis non felices reputet vereque beatos ,  
 Tam bene consuluit mens quibus æqua DEI ?  
 Hacte-

Hactenus egregie lacrymis perfudimus ora,  
 Et mœstas crebro traximus vngue comas.  
 Aspera nos fundo quia sors versabat in imo,  
 Mortis & afflictos grande premebat onus.  
 Esse videbatur nobis nil vilius, omnis  
 Noster in obscura nocte latebat honos.  
 Sed quid opus multis? ipso nos merserat Orco  
 Culpa, nec effugii spes dabat vlla viam.  
 Quin Satanæ, nobis casus qui fecerat istos,  
 Jam veluti gesta re bene letus erat.  
 Nos quoties lacrymas dedimus, dedit ille Cachinnum,  
 Ore preces humili fudimus, ille minas.  
 Sed bene conuerso nunc ordine cuncta feruntur,  
 Corripuit celerem nostra querela fugam.  
 Et cunctas stygios vires effudit in hostes,  
 In nostrum tulerant qui prius arma caput.  
 Quique minis fuerant tumidi, risuque soluti,  
 Jam metus, afflictos anxietasque premit.  
 Ergo caput læti superas tollamus in auras,  
 Quod prius inflexum prona trahebat humus.  
 Deficiant lacrymæ, capiant præcordia plausum,  
 Mars cadat, inuictas pax noua portet opes.  
 Nunc Satanæ tantum curamus murmura, quantum  
 Exigui nubem pulueris ira noti.  
 O si tentaret vires iterare priores,  
 Materiam risus omnibus ille daret.  
 Fabula per totum populo narrabere mundum,  
 Cum dederis turpem pessime latro fugam.

Suadeo

Suadeo ne redeas , tibi vis & fata parantur ,  
 Et quamuis moueas arma cruenta , cades .  
 Nulla quidem nostris venient tibi vulnera telis ,  
 Hic , jacet in cunis qui , tibi pestis erit .  
 Is te prostratum fuluis extendet arenis ,  
 Et tua vi|ictici
 guttura calce teret .  
 Dic , age , quas poteris mihi nunc intendere fraudes ,  
 Me condat forti cum puer iste manu ?  
 Si quid habes animi , veteres meditare furores ,  
 Rursus ad ingenium , rursus ad arma redi .  
 Tolle meo saltem minimum de vertice crinem ,  
 Crinibus aut si quid vilius esse potest :  
 Nil agis , exerceas vanas sine viribus iras ,  
 Vixtus es , ac omni tempore vixtus eris .  
 Scilicet hac petra mea spes innixa recumbet ,  
 Donec in hoc viuus corpore motus erit .  
 Nec , licet obscuris me jam mors contegat vmbbris ,  
 Ex animo fugiet paruulus iste meu .  
 Sed mala quo casu me fors peiore fatigat ,  
 Huc gressu tanto me propiore feram .  
 Quippe nihil veniet lethi mihi certius hora ,  
 Palma tamen non sit quod tibi parta putas .  
 Tempus erit , quo me sub lucem terra reponat ,  
 Inque beatorum cernar adesse choro .  
 Hic reliquos inter Christo me proximus addam ,  
 Ibo per ætherias quo præeunte domos .  
 Tunc veluti coruus ricu delusus hianti  
     Stabis , & inuidia te quatiente gemes .  
 Læta mihi restat nitidi possessio coeli ,  
     Te piceis mersum Styx retinebit aquis .

Affident

Afficent nostras modulamina suauiter aures,  
 Concinet æterno quæ pia turba DEO.  
 Te queruli rauco terrebunt murmure fletus,  
 Et quocunque feres lumina, planctus erit.  
 Me iucunda manent æternæ gaudia lucis,  
 Vmbra tibi poenas nonabitura feret.  
 His abeas: quid enim referam te carmine? non es  
 Dignus, vel puncto qui referaris, abi.  
 Jam mihi cum Christo res est, cui seruio, cuius  
 Ad cunas hilares duco reduco choros.  
 Perque vices gratos modulamus vocibus hymnos,  
 Et resonum digitis sollicitamus ebur.  
 Nec Citharæ capiunt, villam nec tibia pacem,  
 Sed quodcumque sonis præstat, id omne sonat.  
 Interea diri consurgant turbine motus,  
 Äquora feruescant fluëtibus, aura tonet;  
 Instruat æratas in nos Bellona Phalanges,  
 Omne fremat, quicquid vi nocuisse volet.  
 Cuncta tamen tenui nutu compressa quiescent,  
 Si puer vtrices exferat ille manus,  
 Ecce repantino motu iam cuncta feruntur  
 Jam mare terribilēs, spirat & aura minas.  
 Turca ferox geticis huc pridem tendit ab oris,  
 Et quatit armorum pectora nostra metu.  
 Excere nunc fortes igitur, puer optime, vires,  
 Quique struunt nobis funera, sterne solo.  
 Vesciemur & donec vitali luminis aura,  
 Florida pax nostris fac dominetur agris.  
 Sic pia soluamus sacras in carmina voces,  
 Nec tuus e nostro corde recedat honos.

*In Die St. Stephani Protomartyris.*

**D**Ira cruentatæ victor post funera mortis,  
 Jam Christus cœli sede receptus erat.  
 Sermo DEI cunctis diffundebatur in oris,  
 Veraque converso creuit in orbe fides.  
 Indoluit Satanas , & inani feruidus ira,  
 Terribiles varia texuit arte minas,  
**E**t cunctas odii vires effudit in illos,  
 In quorum Christi pectori nomen erat.  
 Sed nihil effecit, quia suscipit omnia frustra,  
 Stultus in inuidum qui capit arma D E V M.  
**V**t fera conatus vanos incendia rident,  
 Sufficiente minus quæ cohibentur aqua:  
 Sic vbi cœpisset Christi doctrina moueri ,  
 Augmentum, Satana non prohibente, tulit.  
**O**mibus ardor erat, studium Doctoribus vnum,  
 Vndique collectos multiplicare greges.  
**A**dditur his Stephanus, nuper quem turba crearar,  
 Ferret ut aggesto præses in ære vices.  
**I**s noua diuersis edens miracula signis ,  
 Est Christus nostræ caussa salutis, ait.  
 Fidite ne legi, soli sed fidite Christo,  
*Lex iram, Christus gaudia pacis habet.*  
**Q**uisquis in hoc solo constanti corde quiescit,  
 Perpetuas cocli diues habebit opes.  
**L**ege sed in Mosis vitam quicunque requiret,  
 Mandabit Ponti semina stultus aquis.  
**D**ixerat: Exoritur magno clamore tumultus,  
 Et furor in flamas immoderatus abit.

Turba

Turba sacerdotum, cum sit blasphema locutus  
 In Mosen, digna morte peribit, ait.  
 Nec mora, damnatur, portis expellitur vrbis,  
 Obrutus & lapidum grandine fata subit.  
 Hæc ita dum fiunt, oculos in morte grauatos  
 Sustulit, & tales reddidit ore preces:  
 Sis, age, sis præsens, & quam tibi reddere cogor,  
 O animam quæso fuscipe, Christe, meam.  
 Nec statuas nostros pœnam crudelis in hostes,  
 Nam quid agant, miseros me perimendo latet.  
 Finierat, prono terram simul attigit ore,  
 Atque suum moriens clausit in orbe diem,  
 Quisquis in officio viuis, multumque laboras,  
 Quippe nisi Stephanum te nihil esse putas.  
 Omnia si facias, lapides in fine reportas,  
 Hæc meritis homines præmia ferre solent.  
 Non tamen abiicias, recti quod norma requirit,  
 Fac tua, de reliquis sit sua cura D E O.  
 Præmia si mundus tibi contribuenda negarit,  
 Præmia iusta D E O contribuente feres.  
 Et licet innocuam cogaris fundere vitam,  
 Non tamen a vera fac moueare via.  
 Cuius enim caussa vitam, vel cetera perdis,  
 Ille tibi decuplo reddere plura potest.

*Vitata curiositate cuique propria esse agenda.*

*Feria III. Natiuitatis, Joann. 21.*

**Q**uisquis amat Christum, Christus quas pascere  
 iussit,  
 Pascat oues, hoc est: proprias in munere partes  
 B Fidus

Fidus agat, quæ sunt aliis commissa relinquat.  
 Si fuerit præco verbi, contingere fasces  
 Ne cupiat: contra templi ne tangat habenas,  
 Qui premit imperio populos & rostra gubernat.  
 Nauta fecet fluctus puppi, proscindat aratro  
 Rusticus arua, Faber tractet fabrilia, Miles  
 Bella gerens, armis venientes terreat hostes.

Quisquis enim sese peregrinis ingerit actis,  
 Muneris haud ipsum ratio quæ tangere cogit:  
 Omnia perturbat, supremis infima, noctem  
 Fulgori, prauis miscet meliora, remota  
 Pace serit lites, pro lucro damna reponit.  
 Cum vero propriis curas impendere rebus  
 Quisque studet, placideque suam fert pectore sortem:  
 Omnia successu ferri meliore videntur.  
 Templa scholæque vigent, floret respublica, ridet  
 Pax auro longe melior, lis pulsa recedit,  
 Poena malos cohibet, seruat defensio rectos.

Proh dolor, inuersus iam fertur in omnibus ordo:  
 Pascit oues nemo, CHRISTVS quas pascere iussit,  
 Nostra placent aliis, nobis aliena, caballus  
 Pinguis arat, taurus phaleras & ephippia gestat:  
 Inde tot errores, tot iurgia, totque ruinæ,  
 Tot scelerum facies surgunt, certamina tanta.  
 In terris eadem semper confusio durat,  
 Nec miseris vltra pacem sperare reliatum.  
 O si nos cœli CHRISTVS mox sede reponat,  
 Ad quam turbati palmas oculosque leuamus!  
 Illic immotas conseruant omnia leges,  
 Et pax æterna saluatos fronde coronat.

Vatici-

*Vaticinium Simeonis de Puerō Iesū & Maria  
virgine, Dominica post Natiuit. Luc. 2.*

**V**T solet instantes rerum prædicere casus,  
Cui nota virtus siderum:

Sic noua diuinos cui lux patefecerat ortus,  
Simeon futura nunciat,

Quæque recens nato puerō, quæ fata Mariæ  
Ferenda restent, indicat.

Hoc, ait, offensos puerō, fastuque tumentes,  
Ruina multos obruet:

Eiusdem contra multi bonitate resurgent,  
Ruina quos prostrauerat.

Tela velut metam neruis torquentur ad vnam,  
In hunc furor sic omnium

Vertetur: totus CHRISTO contraria mundus  
Non erubescet dicere.

Quod fieri Genitrix quando tristissima cernet,  
Gemitu sonabit plurimo,

Imo sibi latebras animæ lugentis, acuto  
Ferro recludi sentiet.

Crux ita præ reliquis sanctos plerumque fatigat,  
Parcit DEI nec Filio:

Ergo volet quisquis cum CHRISTO viuere, portet  
Crucis prius discrimina,

Non quia per risum, sed multa pericula, cæli  
Choros ad altos tendimus.

*In die circumcisionis Domini, seu noui anni,  
Luc. 2.*

**Q**Uæ te Christe fides, animi quis motus adegit,  
Ut ferres nostra fleibile sortis onus?

B 2

Tu

Tu longe sordis fueras a labe remotus,  
 Lex tamen & iusti te premit ira DEI.  
 Hac puer insontem profundus luce crux rem,  
 Et pellis faxi cuspide secta cadit.  
 Omnia quæ tolerans finem conuertis ad istum,  
 Legis ut a nobis dimoueatur onus.  
 Lex multo quæ sunt nobis maiora requirit,  
 Tu, fuerant igitur quæ facienda, facis.  
 Tu placas iram patris, cælumque recludis,  
 Et miseris promtam sternis ad astra viam,  
 Magna tuo nobis requies de nomine pendet,  
 Alite quod cœli contribuente geris.  
 Est enim IESVS, mentis qui vulnera sanat,  
 Et gaudet populis ferre salutis opes.  
 O vtinam nomen se nobis offerat illud,  
 Nos vbi postremo languor agone premit!  
 Tunc quamuis totus contra nos militet Orcus,  
 Omnibus ira tamen viribus orba cadet.

*In Die Epiphaniorum, Matth. 2.*

**T**hra legens populus feruenti Solis in ortu,  
 Viderat insolitam luce micare facem.  
 Attonitas cuncti mentes nouitate ferebant,  
 Atque sibi vellet stella quid ista, rogan.  
 Sed venisse Magi statuunt iam lucis in auras,  
 Qui lux & mundi vita futurus erat.  
 Mox iter ingressi CHRISTI cunabula querunt,  
 Quæ procul ignota sede tenebat humus.  
 Succedunt tandem tecis, Regique reperto  
 Prostrati fusæ cum prece dona ferunt.

Dona

Dona ferunt auri massas, thus, vnguina myrrha,  
 Inque statu quali sit puer iste docent.  
**Quod Rex sit, quod verus homo, quod numine præstet,**  
 Rex aurum, myrrham vult homo, thura Deus.  
**Exemplo nobis præeunt, nam querere Christum,**  
 Et dotes illi nos quoque ferre decet.  
**Tunc auri cumulos ferimus, cum dogmata pura**  
 Sinceramque sedet mente tenere fidem.  
**Myrrha crucem signat, quæ quamuis dura videtur,**  
 Spes tamen in mediis est retinenda malis.  
**Cum prece continua sedem pulsamus Olympi,**  
 Nec dubio trahimur peccatore, thura damus.  
**Sit tibi Christe fides, sit nostra precatio curæ,**  
 Et crucis intrepidi fac toleremus onus.  
**Nam tua suppeditat si nobis gratia vires,**  
 Visa carere prius robore, robur habent.

*Christus amissus in tempore reperitur, Luc. 2.  
 Domin. i. p. Epiphan.*

**S**titirpe quod ex hominum nemo sine criminе viuat,  
 Sed labi quemuis posse, Maria docet.  
 Nam quamuis sanctos omnes sanctissima vineat,  
 Est tamen in natum segnior illa suum.  
**Proh dolor! amittit, lati fiducia mundi**  
 Atque salus hominum quem penes omnis erat.  
 Omnibus ergo viis animo turbata vagatur,  
 Corda quatit palmis, vnguibus ora fecat.  
**Tertia lux radiis nigras disiecerat umbras,**  
 Illacrimans templi tecta gemensque petit.  
**Hic puerum medio Procerum videt agmine cingi,**  
 Sacra quibus fuerat voluere scripta labor.

Iam dactis faciles sermonibus applicat aures,  
 Verba per alternas iam mouet ipse vices.  
**Duxit** enim melius summi mandata parentis,  
 Quam matris, fuerant quæ leuiora, sequi.  
**Si** quem forte queunt aliena pericula cautum  
 Reddere, ne CHRISTVM cautio perdat erit.  
**Attamen** ex animo lapsus si forte recedat,  
 Templa repentino sunt adeunda gradu.  
**Omnibus** hic vltro sese querentibus offert,  
**Hic** docet, & nostros percipit aure sonos.

*Christus coniuua nuptialis in Cana Galileæ,*

*Ioann. 2.*

*Domin. 2. p. Epiphani.*

**A**d thalami tædas Christus coniuua vocatur,  
 Ad thalami tædas ille vocatus adest.  
**E**t probat effectu, casti quod vincula lecti,  
 Ardentesque pio diligat igne faces.  
**E**cce sed in medio vinum defecerat actu,  
 Et nemo, fuerant quæ facienda, videt.  
**R**es igitur CHRISTI tandem perfertur ad aures,  
 Tardior auxilio visus at ille fuit.  
**T**empestiuua tamen cum iam succederet hora,  
 Vina recens haustas in noua mutat aquas.  
**H**ic tua res agitur, primos qui colligis ignes,  
 Appetis & casti fœdera, sponsæ, thori.  
**P**rincipio gaudere soles, gestare coronam,  
 Cum sponsa lætis cor recreare sonis;  
**A**st ubi iam tuleris insueto vincula collo,  
 Semper erunt duræ, quas patiere, vices.

In

In primis rerum tibi copia subtrahet usum,  
 Sæpius & vino deficiente gemes.  
 Sed tua fac Christi veniat vox missa sub aures,  
 Illius est miseros promta iuuare manus.  
 Is tibi pro lympha iucundi munera vini,  
 Gaudia pro luctu non peritura dabit.  
 Sæpe quidem tardo votis respondet, at illa  
 Non tamen inuentos prorsus abire finit.  
 Sed cum legitimam produci conspicit horam,  
 Soluit in auxilium protinus ille manum.

*Res petenda duplices dupli modo petuntur, Matth. 8.*

*Domin. 3. p. Epiphani.*

**L**epræ cui scabie miseros infecerat artus,  
 Orandum quanam sit ratione, docet,  
 Ille petens, cladem depelli corporis, inquit:  
 Me, si vis, mundum reddere, CHRISTE, potes.  
 Tu quoque, cuius opem præsens hæc vita requirit,  
 Crede, sed arbitrio subiice vota DEI.  
 Si volet is, poteritque tibi res esse saluti,  
 Pars desiderii non cadet vlla tui.  
 Si fueris vero tibi pernicioса precatus,  
 Non optata quidem, sed meliora feres.  
 Forro sunt dotes, animæ quæ commoda spectant,  
 Hæ tali nolunt conditione peti.  
 Semper in his Domini constat propensa voluntas,  
 Et pia depositunt quod sibi corda ferunt.  
 Vult immota tamen votis fiducia iungi,  
 Hac etenim sola stantque valentque preces.

Innumerar. quamuis instes orando per horas,  
 Absque fide, vanum vox tua murmur erit.  
 Quod manus est homini donum qua suscipit, illud  
 Est precibus Christi sanguine nixa fides.  
 Hanc sic forte manum tibi fors inuisa recidat,  
 De Christi meritis spes tibi tota cadet.

*De Conuersione Pauli, Actor. 9.*

**S**Aulus ingentem tumidus furorem  
 Spirat, minisque fulminat.  
**C**eu Lupus stragem meditatur agnis,  
 Iraque fervet horrida:  
**I**lle sic mentis furibundus æstu,  
 Christum professis imminet.  
**V**im parat, bellum crepat, arma poscit,  
 Diros minatur carceres.  
**S**ed **D**EVS tantos odii tumultus,  
 Minasque fecit irritas.  
**N**amque cum Miles peteret Damascum,  
 Lucis nitore cingitur,  
**H**orrido cœlum fremitu remugit,  
 Fragore tellus infonat.  
**E**cce mox virtus animo recedit,  
 Formido pectus occupat,  
**L**uminum visu spoliantur orbes,  
 Caput tenebris mergitur,  
**Q**uique se diëtis tumidum ferebat,  
 Soli recumbit puluere.

Post

Post vbi vires animo recurrent,  
 Visusque cæco redditur:  
 Dat fidem Christo, reparata cuius  
 Letho salus credentibus.  
 Imo radices serit ipse verbi,  
 Hostis prius quas oderat.  
 Sic DEVS cunctos vtinam tyrannos  
 Forti prehendat dextera,  
 Terreat, sternat, retrahat, repellat,  
 Flectat, premat, coérceat!  
 Vt minas tandem domiti remittant,  
 Christoque post inferuant.  
 Calce nam frustra stimulum fatigat,  
 Contra DEVVM qui militat.  
*Mundi & aequoris turbati collatio, ad nauiculam Christi accommodata, Matth. 8.*

*Domin. 4. p. Epiphan.*

**Q**Uæso quid est mundus? Turbatum fluctibus  
 aequor,  
 Exigua per quod nos trabe cymba vehit.  
 Hic nihil est, quod non tristi nos terreat ira,  
 Aura tonat, cœlum fulminat, vnda sonat.  
 Rex erebi diros contra nos excitat hostes,  
 Omnes in nostrum qui caput arma ferunt.  
 Nos miseri pauido testamur corde timorem,  
 Et flentes crebra tendimus ora manu.  
 Nam licet in cunctas vertamus lumina partes,  
 Ferre tamen nemo velle videtur opem.

B 5

Imo

Imo salus nobis ex quo pendere solebat,  
 Heu ! nostram CHRISTVS deserit ipse ratem.  
 Scilicet hoc ipso sternit se tempore somno,  
 Fas erat ad nostras quo vigilare preces.  
 Nil igitur nobis vltra sperare relictum,  
 Quam subito diræ mortis in ima trahi.  
 Si duxisse tamen satis est, bone Christe, quietem.  
 Surge, nec a nobis longius aufer opem.  
 Hostiles cohibe fremitus fatique procellas,  
 Et fine tranquillos spiret ut aura dies.  
 Si vero duras votis obstruxeris aures,  
 Nostra quid efficiet cura laborque ? nihil.

*In Feste Purificationis Mariæ, Luc. 2.*

**P**Affa quæ nunquam fuerat maritum,  
 Editum nuper Genitrix puellum,  
 Gentis ad morem, Domino sacrata  
 Sistit in æde.  
 Hostias aris pariter reponit,  
 Ferre quas fortis ratio sinebat,  
 Scilicet binas, tumido carentes  
 Felle, columbas.

Præbet Exemplum reliquis, benigna:  
 Sors quibus prolem gremio reponit:  
 Fas enim cunctis, Domino tenellos  
 Sistere natos:

Sed DEO sisti soboles putatur,  
 Cum rudem fleetunt monitis parentes,  
 Inque diuinæ patiuntur illam  
 Crescere laudes.

Inter

Interest sacris Simeon, & vlnis  
Tollit infantem toties petitum,  
Et DEO grates peragens resoluit

Talibus ora:

Nunc mihi cum sit puer ille visus,  
Caussa qui nobis & origo vitæ:  
Opto dissolui, placidoque fine  
Claudere vitam.

Ille Saluator veteres repurgat  
Criminum sordes, Satanae furorem  
Comprimit, mortem iaculis & arcu  
Fortiter orbat.

Ille solatur miseros, medelam  
Sauciis confert animis, iacentes  
Erigit, cœli patria carentes  
Dicit in aulam.

Ille non vni populo paratus,  
Gentibus lucis radios ministrat,  
Isaci charæ soboli perennem  
Fundit honorem.

Quisquis in Christi meritis quiescit,  
Et necem, sperans meliora, vincit,  
Huius e mundi Lacrymis ouanti  
Corde recedit.

*Lolium segeti mixtum, Matth. 13.  
Domin. 5. p. Epiphan.*

**V**T lolium segeti latis miscetur in agris,  
Et passim celso flore per arua viret:

Sic

Sic cum gente sacra miscetur turba malorum,  
 Et semper lætæ gaudia sortis habet.  
**Afficit exitio lolii vicinia fruges,**  
 Afficit & damno turba maligna pios.  
 Non patitur Dominus lolii virgulta reuelli,  
 Crescere sed messis tempus adusque sinit.  
 Sic neque momento prauos D E V S eruit vno,  
 Sed mixtos patitur coetibus esse bonis.  
 Dignatur spacio miseros peccata dolere,  
 Inque viam possint quo reuocare gradum.  
 Mox ubi maturis flauescunt messibis agri,  
 In cineres lolii germen ab igne cader.  
 Ultima iudicij cum lux produxerit horam,  
 Impius inferni missus in ima ruet.  
 Triticeæ messes condentur in horrea, cælo  
 Exceptus, fuerat spes cui Numen, aget.

### EPIGRAMMA.

Quisquis es, ad gladium palmas aduertere noli,  
 Est tibi si Christi pascerre munus oves.  
 Colla magistratus ferro scelerata recidit,  
 Impia tu verbis argue corda, sat est.

*Vita æterna datur Gratis non ex merito.*

*Dominica Septuagesima, Matth. 20.*

**N**on æterna salus nostra virtute paratur,  
 A summo gratis sed datur illa DEO.  
 Quid iactas igitur multis, Iudæe, labores,  
 Vinea te CHRISTI quos operante tulit?

Quid

Quid pondus longi memoras æstumque diei?

Nil agis, incassum murmura, stulte, moues.

Qui fuit extrema lucis conductus in hora,

Præmia nequaquam te leuiora feret.

Vltimus & primus nullo discrimine distant,

Credat vterque DEO si modo, saluus erit.

Vera fides operum caput est, si deficit illa,

Amplius in pretio non reputatur opus.

Sed veluti corpus vita sine mortua res est,

Absque fide mortis sic opus instar habet.

Si mens est igitur rerum placuisse parenti,

Corde tibi radios fac ferat orta fides.

Crede, tibi CHRISTI merito peccata remitti,

Quodque sit illius morte relata salus,

Et factis, lucem fidei quæ sponte sequuntur,

Proximus exspectet, quem labor vrget, opem.

His mouet in paucis totus se cardo salutis,

Possimus absque fide nec placuisse DEO.

Fallitur, & tandem continget Tartara, factis

Ex propriis cœli qui sibi spondet opes.

*Agricultura cœlestis, Dominica Sexagesima, Luc. 8.*

**E**st DEVS agricolæ similis, nam iugera campi.

Et quibus hæc spargi semina cureret, habet.

Iugera sunt hominum mentes, sunt semina verbū

Dogmata, quæ CHRISTVS protulit ipse polo.

Sed Dominum messis prouentu ludit inani,

Nec bona, quæ debet reddere, reddit ager.

Semina

Semina iam volucres, iam vis asperrima faxi,  
 Iam pungens rigida cuspide spina necat.  
 Pars hominum stygio prædoni claustra relaxat,  
 Et sinit ex imo semina corde rapi.  
 Pars ad fortunæ nutum se flectit, & illa  
 Strante, fidem iactat, sed fugiente, negat.  
 Sunt etiam, vicius nimium quos cura fatigat,  
 Quosque voluptatum turpiter vrget amor.  
 Omnis in his frustra tentatur cura laboris,  
 Radices sparsum nec bene semen agit.  
 Conseruat fundo tantum pars quarta vigorem,  
 Et lætas multa fruge ministrat opes.  
 Ex hominum numero Numen pars maxima spernit,  
 Exiguus CHRISTI nomina cœtus amat.  
 Interit illa tamen sterili, ceu gramen, in agro,  
 Prodigus hic messis fenora semper habet.

*Dominica Esto Mihi, Luce. 18.*

**N**on dolus hostilis, nec vis te, CHRISTE, coëgit  
 Cælorum Domino non toleranda pati.  
 Cuncta vides, quare nequeunt tibi retia ponи,  
 Es DEVS, & mundi robore maius habes.  
 Te pia mansueti mouit clementia cordis,  
 In nos fraternus te superauit amor.  
 Inque fuit fatis, ligno suspensus ab alto  
 Immeritæ casus vt paterere necis.  
 Propterea fœuis vltro te gentibus offers,  
 Duraque fers capta vincula sponte manu.  
 Excipis innumeras generoso corpore plagas,  
 Innocuo duras excipis ore manus.

*Discipu-*

Discipulos horum monitos prius esse volebas,

Hæc ne quis temere forte putaret agi.

Sed mentes horum nubes obduxerat umbra,

Nec capere intenti rem potuere tui.

Sic etiam nostri torpent caligine sensus,

Lumina nec cordis cæca videnda vident.

Quare cum cæco, lucis qui dona petebat,

CHRISTE, tuam magna voce rogamus opem.

O istam nostris e sensibus eiice noctem,

Quique micet claro lumine, redde diem.

Mentibus haud ullo nostris fac excidat ævo,

Sint bona vulneribus quanta parata tuis.

Sic tibi cum cæco reddemus carmina laudum,

Qui laudes dignas carmine solus habes.

*Adiaboli insidiis & temptationibus cauendum,*

*Matth. 4.*

*Dominica Inuocauit.*

**Q**ui pius est, Christumque fide constante fatetur,

Corde ferat stygio semper ab hoste merum,

Is quia præ reliquis fidei confortibus instat,

Ambit & hos, pauidas ceu lupus ambit oves.

Et licet innumeras tentandi calleat artes,

Vsurpat potius tres tamen ille modos.

Aut famis attonitas vexat formidine mentes,

Et dubitare DEI de bonitate iubet;

Aut ventosa leui tendit præcordia fastu,

Atque peregrinæ fortis ad ausa trahit;

Aut promittit opes & latum regna per orbem,

Monstra, DEI spreto numine, si quis amet.

Si

Si non erubuit CHRISTO prætendere fraudes,  
 Nec quisquam nostro de grege tutus erit.  
 Sit nobis igitur propellere cura soporem,  
 Ne lupus in casses nos trahat iste suos.  
 Haud dubitant animi : quamuis natura reclamet,  
 Vult tamen atque potest nos aluisle DEVS.  
 Nec quisquam sese plus æquo tollat in altum,  
 Nec quod erit stultum tangere, tangat opus.  
 Nemo DEV M regnis mundi postponat & auro,  
 Cælestes potius mens sibi quærat opes.  
 His nisi quem monitis instructum viderit hostis,  
 Quam rapiat prædam dente cruentus habet.

*Mulier Cananæa, Matth. 15.*  
*Dominica Reminiscere.*

**V**era fides, CHRISTI meritis quæ nixa quiescit,  
 Inflecti, rupis, quæ nequit, instar habet.  
 Ventorum fremitus rupes contemnit & vndas,  
 Fortunæ ridet fulmina vera fides.  
 Testis erit veri mater Cananæa puellæ,  
 Quæ Satana furias excruciantे tulit.  
 Illa sequens celeri CHRISTI vestigia gressu,  
 Fer mihi, nate DEI, fer mihi, dixit opem.  
 Sed cui mos fuerat, tristes admittere voces,  
 Hic clausa fusas reppulit aure preces.  
 Imo velut telis miseræ præcordia pulsat,  
 Nec patris officium ceu prius, hostis agit.  
 Non ouis es, nostris ducens e sepibus ortum,  
 Es canis infami de grege, dixit, abi,

Sed

Sed quo clamantem vehementius ille repellit,  
 Intendit querulas hoc magis illa preces.  
 Nec prius absistit, gemitu quam supplice vincat,  
 Et CHRISTVM mœsto, quo velit, ore trahat.  
 Spem contra fuit hoc, certam sperare salutem,  
 Et superare fide non dubitante DEVUM.  
 Huc animum vertas, fati qui mole teneris,  
 Funde preces, CHRISTO fide, rogata feres.

*Fortior fortem vincit, Christus Diabolum,*  
*Lucæ II.*

*Dominica Oculi.*

**M**agna quidem Satanae vis est & magna potestas,  
 Sed maiora DEI robora Natus habet.  
 Occupat is nostras vna cum corpore mentes,  
 Maturat CHRISTO sed veniente fugam.  
 Ille parat nostris & necit vincula linguis,  
 Vincula per CHRISTVM sed resoluta cadunt.  
 Ille datis surdas occludit vocibus aures,  
 Per CHRISTVM surdus sed babit aure sonos.  
**O**nimum nostro nos Seruatore beatos,  
 Vincere qui forcem fortior ipse potest,  
 Huius ad obsequium, quæ sint facienda, requiris?  
 Militiae socium te iubet esse suæ.  
 Propterea validas ad pugnam concipe vires,  
 Fortiter & stygii tela repelle ducis:  
 Ardua nam quamuis pro nobis prælia miscet,  
 Securos minime nos tamen esse decet.  
**N**æ tibi perpetuas parient certamina lites,  
 Si dederis Nato vota fidemque DEI.

C

Nec

Nec semel hostili satis est concurrere pugna,  
 Excurbias, si vis vincere, semper agas.  
 Ad tempus quamuis Satanas quandoque recedat,  
 Occultum reuocat mox tamen ille gradum.  
 Vix satis hic praestat, vigilat qui semper in armis,  
 Tu quid, si fueris desidiosus, ages?

## ORA, LABORA, SPERA.

*Dominica Lætare, Ioann. 6.*

**B**RUMA fugit, placidi ridet clementia Veris,  
 Terra sinum pandit glacie niuibusque remotis,  
 Cynthius in florem languentes euocat herbas.  
 Nunc labor agricolis surgit, bos fessus aratro  
 Ingemit, & longis conduntur semina fulcis.  
 Hæc equidem fieri ratio vulgata requirit;  
 Sed DEVS arcanis nisi viribus imbuit agros,  
 Irritus in vanas omnis labor evolat auras.  
 Ille solum potat pluviis, granisque vigorem  
 Suggerit, & longo disponens ordine culmos,  
 Multiplici grauidas frumento ditat aristas.  
 Hinc alimenta petunt homines, & cetera quotquot  
 Sparsa per immensas habitant animalia terras.  
 Hoc agnosce, DEO qui proximus esse laboras,  
 Et tibi defuerit nullo quod tempore victus,  
 Quod neque nunc desit, corpus quod veste tegatur,  
 Numinis id tribuas meritis: sine Numine vanum  
 Omne putet, propriis tibi quod promittis ab actis.  
 Non tamen idcirco tibi desidis otia vitæ  
 Præcipio, vitiis recludunt otia fontem,  
 Otia prosternunt animos viresque resoluunt.

Fas

Fas tibi non segni studio tractare labores,  
Numen & impositi quos muneris exigit ordo,  
Si tamen euentus feliciter acta secundet,  
Non tibi, sed superum Regi, laus tota feratur.  
Accipe rem breuiter: primum prece supplice poscas  
Numen in auxilium, sit cura deinde labores  
Officii tentare tui, quod restat, agendum  
Trade DEO, latum contingent omnia finem.

*In Festo Adnuntiationis Marie.*

Lucas 1.

**H**Æc dies, hæc est, hominum Re-  
demtor  
Sede qua cæli veniens ab alta,  
Condidit sese tenero pudicæ  
Virginis alio.  
Præter & caussas seriemque rerum  
Induit nostram sine labe carnem,  
Ut lucis culpa phlegethone mersos  
Redderet astris.

Nam DEVS nostræ nisi membra carnis  
Fœderis nexu sibi copulasset,  
Nos adhuc dirus stygiis teneret  
Hostis in vmbbris.

C 2

Ergo

Ergo diuini generis propago  
Poscitur, quæ se medium reponat  
Inter humanum genus, atque regem  
                          Inter olympi.

**CHRISTVS** admissi sceleris reatum  
Expians, placat precibus Parentem,  
Et prius clausum vitiis recludit  
                          Sanguine cælum.

Angelus iussu Gabriel Tonantis,  
Virginem, cœlo veniens, salutat,  
Et vices partus teneræque prolis  
                          Nunciat ortum.

Illa turbatur nouitate primum,  
Sed fide motus dubios repellens  
In DEI verbo nihil hæsitante  
                          Corde quiescit.

O dies sacro celebranda cultu,  
Quam Parens rerum miseris creauit,  
Et sui cladem populi benigna  
                          Sorte leuauit.

O dies sacro celebranda cultu,  
Qua salus lætum reparauit ortum  
Morsque per semen toties petitum  
                          Pulsa recessit.

O dies sacro celebranda cultu,  
Ille qua lati Moderator orbis  
Et potens rerum fragiles Creator  
                          Induit artus.

Laudet

Laudet æternum pia turba Patrem,  
 Laudet æternum pia turba Natum  
 Spiritum laudet pia turba Sanctum  
 Omne per æuum.

*Iudæi in CHRISTVM lapides tollunt.*

*Ioann. 8.*

*Dominica Iudicæ.*

**H**IC CHRISTVS hospes impios  
 Verbis refutat asperis,  
 Vocatque natos dæmonis,  
 Verum DEVVM qui nesciant.  
 Contra sui prælustria  
 Verbi sonat præconia,  
 Illudque mortis afferit  
 Nos auocare vinculis.  
 Me quisquis, inquit, audiet  
 Vitæque credet principem,  
 Cœli receptus atriis  
 Æuum perenne transfiget.  
 Mox ira Iudæos capit,  
 Vrit, fatigat, excoquit,  
 Nec erubescunt impias  
 In saxa dextras soluere.  
 Sed fata CHRISTVS vltima  
 Sibi parari sentiens,  
 Vitat furoris impetum,  
 Templine cedit limine.

C 3

Quis-

**Quisquis** piis in cœtibus

Vices docendi sustinet,  
Hoc curet, auditoribus  
Vt sana tradat dogmata.

**Constanter** his inhæreat,

Nec se finat flecti minis,  
Nec gratiis, nec præmiis,  
Recti vias vt deserat.

**Quod si** tyranni sœuant,

Manusque saxis instruant;  
Non vi repugnet, pessimis  
Cedat magis conatibus.

**Tradat** DEO negotium,

Vindex suo qui tempore  
Rabie feros atrocibus  
Pœnis tyrannos obruet.

**Sed** recreabit gaudiis,

Quotcunque seruantes fidem  
Bonamque conscientiam  
Sub Rege CHRISTO militant.

*Christus triumphator & Dux pacis, Domina Palmarum, Matth. 21.*

**C**ur soboles Hebri CHRISTO tulit obuia palmas,  
Solymam cum tangeret urbem?  
Scilicet hostili nequeat quod robore vinci,  
Stygias & rideat iras.

Palma

Palma superposita quamuis sub mole prematur,  
     Tamen altius exit in auras.  
 Sic quamuis CHRISTVM labes cum morte fatigat;  
     Vires tamen ille resumit.  
 Et tandem fatis casuque solutus ab omni,  
     Manifesta luce triumphat.  
 Imo domat cunctos bello vincisque coërcet,  
     Quotquot prius arma mouebant.  
 Cur tamen & ramos populus substernit oliuæ?  
     Pacem designat oliua.  
**CHRISTVS** enim pacis Dux est, & lite remota  
     Cælestes temperat iras.  
 Cordaque solatur verbo, contraria verbo  
     Tulerant quibus ausa pauorem.  
 Quis vestes igitur CHRISTO substernere, cunctas  
     Quis opes impendere nollet  
 Principis ad tanti laudes? quo Numine major  
     Nemo, nec fortibus ausis?  
**CHRISTE** tibi merito laudem persoluimus omnes,  
     Te voce sub astra leuamus:  
 Nam sine te meritisque tuis Dux optime, nobis  
     Vanum sperare salutem.

*Lamentatio de Morte Christi.*

**I**Am video quantis hominum stet cladibus error,  
     Quamque sit offensi res grauis ira DEI.  
 Quando quidem cœli Dominus rerumque Creator  
     Fata sub indigno funere tanta ferat.  
 Si quis adhuc superes, lacrymæ quem tangere possunt,  
     Huc age, tincta piis fletibus ora feras.

C 4

Ecce

Ecce DEI Natus, sancti Mens vnica Patris,  
 Flebile fatali de trabe pendet onus.  
 Adspice crudeli traiectum cuspide pectus,  
 Ecce pedes, laesas iictibus, ecce manus.  
 Impia pendentes conuulsi dextera crines,  
 Tunsaque multiplici verbere labra tument.  
 Flebilis adfecit moestos angustia vultus,  
 Lumina mors densa nocte gravata premit.  
 Terga cruentato liuent attrita flagello  
 Sanguis & e membris omnibus vber abit.  
 Quid potuit spinis reperiri atrocius istis,  
 Innocuum video quas penetrasse caput?  
 Quid quod in immensos pandantur brachia tractus,  
 Ossaque consuetis sint quod abacta locis?  
 Vel numeris posses cunctos distinguere neruos:  
 Hæc adeo rabies immoderata fuit.  
 Nescio, quo potius prognatum sanguine dicam,  
 Sic potuit Natum qui violare DEI.  
 An precor est hominis, tantos traxisse furores?  
 Vix opus indomitæ tigridis illud erat.  
 O caput istius sceleris quicumque fuisti,  
 Non homo, siluestres te genuere lupi.  
 Te furiaæ stygiis enutriuere sub antris,  
 Inque nefas digitos erudiere tuos.  
 Vincere sic animos miror potuisse Parentem,  
 Et sobolis curam non habuisse suæ.  
 Miror, in vltrices quod non surrexerit iras,  
 Totius & flammis soluerit orbis opus.  
 Desuper effracto cur missa tonitrua cœlo,  
 Perdere sacrilegas non potuere manus?

Cur



Cur mare, cur tellus, cæli cur sidera, vestro

Ferre Creatori non potuistis opem?

O quoties nulla dixit se labe teneri,

Seque fero culpam præter ab hoste premi.

O quantos gemitus, quoties suspiria misit,

Opprobrium sese vermiculumque vocans.

Qui tamen affectu te dignaretur amico,

Nate DEI, regum maxime, nemo fuit.

Tolle, cohors omnis per compita, tolle, sonabat,

Et meritum toties funera, dede neci.

Illico iudicii capit is damnatus ad vrnam,

Excipis hostiles in tua fata manus.

Languidus exhaustis per turbam viribus ibas,

Armato circum milite cinctus eras.

Ex humeris vasti pendebant robora ligni.

Nectebant sanctas vincula dura manus.

Cuspidibus rigidæ cingebant tempora spinæ,

In numero plenum vulnere corpus erat.

Denique latrones inter suspensus iniquos,

Pro dolor, indigno funere mersus obis.

Hic tibi, qui pluuias & flumina cuncta creasti,

Exiguus puræ defuit haustus aquæ.

Qui fueras vesci Diuino nectare dignus,

Iussus es impuro felle leuare sitim.

Quam tibi sunt atro concreti sanguine crines,

Nec decus in vultu, nec vigor ore nitet.

Labra tument colaphis, facies madet illita sputo,

Verbere diuinum læsit arundo caput.

Omnia funestæ referunt vestigia mortis,

Omnia letiferi signa doloris habent.

Hæne manus, olim quas imposuisse solebat,  
 Quando tulit vitam mortuus, æger opem?  
 Hine pedes, mulier lacrymis quos ista rigabat,  
 Quam graue delicti mole premebat onus?  
 Quos eadem sparsis fertur siccasse capillis,  
 Teque Redemptorem testificata fuit?  
 Hos furor est ausus duris pertundere clavis,  
 Quid scelus est, si non hoc scelus esse potest?  
 Tunc grauem spinis debebas ferre coronam?  
 Tene pati iustum verbera, CHRISTE, fuit?  
 Cumque sitis lentas affligeret arida fauces,  
 Dignus amaritiem sumere fellis eras?  
 Dignior ipse fui, me, me qui turpiter egi,  
 Hos casus iustum sustinuisse foret.  
 Tu meritas insons alieno crimine poenas,  
 Tu, fuerant nobis quæ toleranda, luis.  
 Meque tenebrarum vinclis orcoque solutum,  
 Lucida cælorum tempa videre iubes.  
 Iustitiae tegmen nudo vitamque peremto,  
 Lætitiae tristi das mihi largus opes.  
 Quid tibi, quid quæso, dulcissime Christe, rependam,  
 Indignum tanto me quod amore bees?  
 Quippe licet rutilo fluarent mihi regna metallo,  
 Par meritis possem non tamen esse tuis.  
 Argentumrides, cum gemmis respuis aurum,  
 Officium quod mens grata ministrat,amas.  
 Si qua meis igitur virtus latet abdita fibris,  
 Si vigor ingenii, si mihi lumen inest:  
 Scilicet omne tuas laudes id, CHRISTE, sonabit,  
 Tuque mihi, donec vixero, carmen eris.  
 Quicquid

Quicquid ago, quicquid dico, quodcunque voluto  
 Mente, voluntati seruiet omne tuæ.  
 Imo post mortem vitæ reuocatus in auras,  
 Lætus in angelicis te celebrabo choris.  
 Tu modo præsenti miserum me Numine ducas,  
 In scelerum ne me distrahat error iter.  
 Et cum iam cæli confederis æthere Iudex,  
 Fac dextræ videar pars quotacunque tuæ.  
 Meque poli tecum niti patiare per auras,  
 Inque beatorum sede tenere locum.  
 Illic perpetuis intendam carmina neruis,  
 Et vates, soli qui tibi cantet, ero.

*Latro in cruce ad Christum.*

**H**Orror & anxietas me terret & ira Tonantis,  
 Frigida mors oculos ambulat ante meos:  
 At Tu quæso mei, dulcissime CHRISTE, memento,  
 Veneris in regni quando theatra Tui.

*Christus latroni respondet.*

**N**E diffide, licet poenæ te culpa fatiger,  
 Terreat & mentem mens furiosa tuam.  
 Hac mecum sedem Paradisi luce videbis,  
 Te trahit e manibus nulla rapina meis.

*Auctor ad Christum.*

**C**Um latrone loco me culpa reponit eodem,  
 Tolle sed errores, optime CHRISTE, meos,  
 Meque resurgentem Paradisi transfer in hortum,  
 Ut fruar adspectus semper honore Tui.

# SACRORVM CARMINVM

## *Liber Secundus.*

*De redemtione generis humani.*

**L**Inquite, mortales, vitæ delicta prioris,  
Et pia nunc tandem corda probate DEO.  
Tempus enim rediit, ligno quo CHRISTVS in alto  
Tristia pro mundi fata salute tulit.  
Illiū in numero tunc læsum vulnera corpus,  
Et facies omni parte cruenta fuit.  
Vos igitur quorum tangunt cælestia mentes,  
Conueniens mecum fuscipiat opus.  
Ibimus in lacrymas, soluemus & ora querelis,  
Culpa DEVVM quod nos fecerit ante reos.  
Et simul e CHRISTI repetemus funere vitam,  
Vtilis est nobis res ea, grata DEO.  
Progenies hominum, misero iam perdita lapsu,  
Mancipium stygii facta latronis erat.  
Carceris in fundo vinclis adstricta iacebat,  
Ardentique dabat membra cremanda foco.  
Innumeræ circum pestes atque horrida ditis  
Monstra grauem miseris exacuere metum.  
Ante volant oculos sceleratæ crimina culpæ,  
Et feruens rapidis ignibus ira DEI.

Insultat

Insultat captis satanas, mors noxia tundit

Viscera, tisiphone flagra crucemque mouet:  
Cæca frequentato resonabant tartara planctu,

Inter & afflictos nil nisi fletus erat:  
Non fuit æthereas vnquam remeare sub auras,

Vlla nec e stygio spes abiisse lacu.  
Tum iubet in cœtum cælestes ire cohortes,

Omne solo qui Rex ius habet, omne polo.  
Seque locans folio gemmis auroque nitenti,

Verba per alternas dat recipitque vices.  
Quæritur, offensi placata Numinis ira,

Res hominum lapsas qui reparare queat,  
Quique luens scelerum pœnas soluensque reatum

Sanguinis effuso viðima rore cadat?  
Iustitiæ primo visum legisque rigori,

Delicti pœnas autor vt ipse ferat.  
Et nisi se propriis exsoluat viribus orco,

Perpetuo pœnas vſtus in igne luat.  
Traxerat ingentem virtus sed nostra ruinam,

Prorsus homo nudus factus, & æger erat.  
Perdere se poterat, sed non reparare salutem,

Vindictam ſævi nec tolerare DEI.  
Agminis angelici Nemesis post exigit vnum,

Qui forſan noſtras poſſet obire vices.  
Sed licet hi ſummo virtutum robore præſtent,

Vnus & innumeris fortior eſſe queat;  
Non tamen humanas poterant avertere clades:

Res adeo grauis eſt vindicis ira DEI.  
Diua, cui veri dedit obſeruantia nomen,

Sensa DEI rupis more tenentur, ait.

Nam

Nam semel in trino quæ sunt decreta senatu,  
Irrita conatu reddere nemo potest.  
Flamma vorax DEVS est, & mentes destruit omnes,  
In scelus abiecta quæ pietate ruunt.  
Sed quibus est ratio factorum congrua legi,  
His vitæ spondet non pereuntis opes.  
Ergo quis aligeros furor est inuoluere pœnis,  
Nulla quibus vitæ culpa nocentis inest?  
Humanum, fateor, non est reparare salutem,  
Non tamen est veri ius violare fidem.  
Perdere nam rectos & iniquos soluere pœnis,  
Veracem contra pugnat vtrumque DEVM.  
Nemo repertores scelerum subducat inultos,  
Stant bona pacta bonis fata, maligna malis.  
Hanc contra dictis Clementia talibus infit:  
Ergo DEVM rupem tu reputare voles?  
Quem neque commoueant gemitus aut vota precan-  
Parcius o tales exprime, Diua, sonos. (tum?  
Sit licet ignis edax, fontes & damnet ad orcum,  
Cor tamen & blandi sensa parentis habet.  
Tardus & inuitus iustum consurgit ad iram.  
Et quoties vindicta cogitur esse, dolet.  
Qui scelus agnoscit plorans veniamque requirit,  
Excipit hunc vltro cura favorque DEI.  
Non tamen idcirco veri decreta, fatiscunt,  
Sed retinent potius consolidata fidem.  
Nam neque veracem statuit iustique tenacem,  
Clementem miseris qui negat esse DEVM.  
Sit modo, qui pœnas humano corpore soluat,  
Spes homini quid, quod proderit omne, dabit.

Mox rapit in partes dubium sententia vulgus,  
 Et toto discors agmine murmur erat.  
 In medium multi referebant multa, reclusit  
 Nemo tamen lapsis ad meliora viam.  
 Adstabat tandem tristis Miseratio vultu,  
 Et dabat in moestos pectus & ora sonos.  
 Languida pulsabat crebris præcordia palmais,  
 Vngue fatigabat dilaniante comas.  
 Sic hominem sedes missum phlegethonis ad imas,  
 Qui factus, cœli cultor, ut esset, erat?  
 Nec prodesse, polo vitæ quod semina ducat,  
 Veraque laudati sit quod imago DEI?  
 O cladem noxamque grauem tristemque ruinam!  
 O mala non vllis æquiparanda malis!  
 Vtilius fuerat, nunquam venisse sub auras,  
 Quam stygis in tristi sede tenere locum.  
 Semper vbi satanas captos exercet in umbris,  
 In lucem patitur nec renocare gradum.  
 Pro dolor, effugii ausquam spes vlla resulget,  
 Ferre polus miseris terra recusat opeim.  
 Inde tot auditæ gemitus, tot fusa per auras  
 Vota leues, passim tot sonuere preces.  
 Dicite cœlicolæ, quis nunc disperget in orbem  
 Digna cani digno carmine facta DEI?  
 Quis Diuīs olim mixtus gentique bearæ,  
 Cœlorum ducet templa per alta gradum?  
 Quis dabit æternas hymnis in secula voces,  
 Numen & excelsø laudis honore colet?  
 Fas erat ardentes certe compescere motus,  
 Perpetuam pœnis nec statuisse moram.

Res

Res nimis exactum trutina qui pensat ad vnguem,  
     Ille sibi damnum saepius ipse tulit.  
 Inque gradu summo ius est iniuria summa,  
     Et furor erumpens limite crimen habet.  
 Sed DEVS est, cuius numerum sapientia vincit,  
     Inueniet fatis, cum volet ille, viam.  
 Si vero tenues hæc irrita fundo per auras,  
     Vlla nec ad veniam corda mouere queo;  
 Tu tamen e nostro nequaquam corde recedes,  
     O homo, ploratus tu mihi semper eris.  
 Damna tui casus, quæ nulla resarciet ætas,  
     Donec ero, gemitu non abeunte querar.  
 Chare DEO quondam, nunc imo clausæ barathro,  
     Nec mihi post vñquam conspiciende, vale.  
 Sic ait, & lacrymis animi testata dolorem,  
     Inflexit querulis atria tota sonis.  
 Tunc magis attenta Natus rem mente volutans,  
     Mortales nostrum sunt tamen, inquit, opus.  
 In quo resplendet nostræ virtutis imago,  
     Et fouet æthereas mens radiata faces.  
 Ergo, quod est nostrum, comburent tartara flammis?  
     Non est durities pectoris ista mei.  
 Confestim patrio coram se flectere vultu,  
     Et cœpit tales edere voce sonos.  
 O Pater, O cuius nescit clementia finem,  
     O solus laudem qui bonitatis habes:  
 Vince precor mentem saeuosque remitte furores,  
     Et populi tandem respice vota tui,  
 Dextera cælestes tua quem formauit ad usus,  
     Et superis iunxit proximiore gradu.

Te

Te scelus ingentem, fateor, commouit ad iram,  
 Strenuus in cinerem quid tamen vltor eris?  
 Quid vermes, bullamque leuem, tenuemque vaporem,  
 Quid facem contra bella ciere voles?  
 Iustitiae proprium, poenis abolere nocentes,  
 Sed laus afflictis parcere maior erit.  
 Si tamen admisso poenas pro crimine poscis,  
 Me tua supplicii molibus ira premat,  
 Mens quia promta mihi, certae succumbere morti,  
 Pristinus ut mundo restituatur honos.  
 Ibo relatus cælestes victor in auras,  
 Quos vetus in piceo detinet hydra lacu,  
 Et propriam fuso statuam tibi sanguine gentem,  
 Tu cui Rex præstans Numine solus eris,  
 Quæque tuas grato celebrabit carmine laudes,  
 Lux ubi vel tenebras, vel premit umbra diem.  
 Ede, Pater, saltem propensi signa fauoris,  
 Et via speratae parta salutis erit.  
 Mox Genitor cohibens paulo iam fortius iram,  
 Tune, refert, hominum crimina, Nate, feres?  
 Sicne meus tandem furor effundetur in illum,  
 Qui nihil in sancto pectore labis habet?  
 Terra Creatorem, cæli quem culmen adorat,  
 Æquoreæ Dominum quem venerantur aquæ?  
 Sed mea tu Soboles, in qua mens nostra quiescit,  
 Tu splendor, cordis tu decus omne mei,  
 Fas tibi nequaquam iustis diffidere votis,  
 Sed precibus quidquid poscis, id omne feres.  
 I, tua te quo fata vocant, & gaudia mœstis,  
 Vitali cassis lumine redde diem.

D

Collige

Collige dispersos, captiuos solue, iacentes  
 Erige, contritis omnibus asper opem.  
 Nec minus indulgens pugnis & fortibus armis,  
 Vincula tartareos in tua coge duces,  
 Tantaque commendans æternis æcta tropæis,  
 Semper honorato nomine victor agas.  
 Dixerat : exoritur cœli concentus in aula,  
 Pars ehebyn, auratum pars feriebat ebur :  
 Angelicus dulces grex soluebatur in hymnos,  
 Et lætus passim nil nisi plausus erat.  
 Sic gaudent superi, cœli sic templa resultant,  
 Nos beat indignos gratia quando DEI.  
 Quin Natus, victo læsi feruore parentis,  
 Læta serenato pectore signa dedit.  
 Et, prius intulerant hominum mihi fata pauorem,  
 Nunc melius quiddam cor mihi spondet, ait.  
 Nunc inuenta malis ratio, nunc mittor in orbem,  
 Iustitiæ lapsis ut reparentur opes.  
 Ergo licet stygius mortem mihi comparet hostis,  
 Mors tamen hæc ipsi nil nisi pestis erit ;  
 Defundis contra vitam, solatia mœstis,  
 Crimine pollutis spem veniamque dabit.  
 Sic ait, & partes Summus descendit in imas,  
 Inque luem mundi crimine mundus abit.  
 Non autem regum se contulit hospes in aulas,  
 Sat quamvis nullo possit honore coli;  
 Sed veniens tenero claudit se virginis aluo.  
 Virgo Palæstinæ flos ea gentis erat,  
 Cuius ob egregias casto sub pectore dotes,  
 Fama per æthereas ibat honesta domos.

Nuper

Nuper ad hanc cælo missus quia venerat ales,

Hauserat ingentem territa virgo metum.

Ille sed : O frustra quid te formido fatigat?

Exue collectos pectore diua metus.

Quin decreta magis fidas admitte per aures,

Quæ tibi cælorum culmine missa fero.

Ipse DEI Natus, qui te, qui cuncta creauit,

Lucida qui forti temperat astra manu.

Induet humanam, vacuam sed criminè, carnem,

Et tenero paruum lac puer ore bibet.

Te cupit ille sibi, dignam te iudicat vnam,

Quæ sacra virgineo pondera ventre feras.

Ergo tum, decies vbi luna refecerit orbem,

Conuenient numeris tempora, Mater eris.

Ecce suum decies iam luna refecerat orbem,

Respondent numeris tempora, Mater erat.

Nascitur & lucis de virgine prodit in auras,

Ille sui vere spes columenque gregis.

Quem toties proaui, quem tot petiere nepotes,

In mundo tandem conspiciendus adest.

Ad cunas vigilant fulgentes luce ministri,

Dives & Infanti persia mittit opes.

Ast vbi maturis demum succresceret annis,

Et iuuenis firmo corpore factus erat;

Quæ latuere prius, prodebat Numina vires,

Et Deitas multis fit manifesta notis.

Quo molitur iter, pietas fert prævia gressum,

Insequitur bonitas, insequiturque fides.

Ad latus incedunt pax & sincera voluptas,

Spes, amor, auxilium, gratia, vita, salus.

Lumina dat cœcis, captis fert auribus aures,  
 Et faciles claudos iussit habere pedes:  
 Dæmonas expellit, sanat contagia lepræ,  
 Membra venenatis febribus vita leuat:  
 Cuius aqua fuerat venter suffusus, & ipsi,  
 Quem iussit lectum tollere, præstat opem:  
 Quin, cœcis pridem quem mors absconderat umbris,  
 Euocat, & vita dat redeunti frui.  
 Nec mora, vicinas ea transit fama per vrbes,  
 Et nouis in populis vndique rumor erat.  
 Iam procul e varia transmitti sede videres,  
 Quos graue morborum debilitarat onus.  
 Creuit honos CHRISTI, satanæ creuere furores,  
 Turba sacerdotum fudit iniqua minas,  
 Totius hic populi, dixit, peruertere sensus,  
 Incipit & ritus edocuisse nouos;  
 Hunc omnes fama tollunt, mirantur & omnes,  
 Hunc poscunt quoties cura requirit opem;  
 Imo Redemptorem mundi Dominumque fatentur,  
 Miserit e cæli quem DEVS ipse throno;  
 Interitus nostris & clades imminet aris,  
 Gloria facrorum quæ fuit ante, cadet.  
 Principiis obstate viri : si creuerit vsu,  
 Quis poterit tantum vi cohibere malum?  
 Tollite, tamque grauem terris auertite pestem,  
 Est mora, quæ vobis damna metumque dabit.  
 Mox clypeos, gladiosque parant, dirasque phalanges,  
 Et galeas pressis imposuere comis.  
 Quo ruitis miseri, quæ vos insania vexat?  
 Ista quid in sanctum sumitis arma caput ?

Naturæ

Naturæ Dominum petitis, sobolemque Tonantis,  
     Non decet, iniustas o cohibete manus.  
 Sed quos ira trahit, cœco velut impete rapti,  
     Despiciunt, ratio quidquid honesta monet.  
 Fit strepitus, Christumque petunt, capiuntq; petitum,  
     Fune salutiferas impediuntque manus.  
 Vis cohibet tali sceleratos more latrones,  
     Culpa facit pœnæ quos manifesta reos.  
 Hic nihil admisit sceleris, tamen agmina cogunt  
     Innocuum vinclis inferuisse manus.  
 Turba venenatis soluens conuicia linguis,  
     O, ait, afflictis tune Redemtor eris?  
 Si quid habes, ipsum potius te subtrahe morti,  
     Et si vis noxas tollere, tolle tuas.  
 Non requies ipsi, seras nox siue tenebras,  
     Siue tulit nitidum lux reuocata diem.  
 Tunditur, obruitur, cupienti reddere voces  
     Pulsatæ colaphis intumuere genæ.  
 Excipiunt rigidas iuuenilia tempora spinas,  
     Turpiter e sputi sordibus ora madent.  
 Purpurei lento densantur sanguine crines,  
     Et color in facie qui fuit, omnis abit.  
 Sidera dant gemitum, sonuerunt æquora luctu,  
     Cynthius attonitis constitit altus equis.  
 Adsiduo tristes vularunt murmure colles,  
     Saxaque præruptis dissiliuere iugis.  
 Nulla sed humanas tangit miseratio mentes,  
     Pectoribus pietas omnibus omnis abest.  
 Quo furor est maior, magis est sæuire voluptas,  
     Nec sitis expleri sanguinis ista potest.

Vestibus exutum solitis, durisque ligatum  
 Funibus, ad virgas denique turba rapit.  
 Flagra sonant, humerosque secant, dorsumque fati-  
 Sanguinis e toto corpore riuus abit. (gant.)  
 Non quia concepit tantum pars vna dolores,  
 Vylnera vulneribus continuata rubent.  
 Non hominem, miserum posse cognoscere vermen,  
 Sic omnem rabies transfit ista modum.  
 Postremo extractum portis, altoque leuatum  
 Robore, cogebant fata dolorque mori.  
 O ego si possem tristes nunc edere voces,  
 Tingeret afflictas si mihi gutta genas,  
 Non nisi commissæ plorarem crimina culpæ,  
 Tot mala, tot gemitus quæ tibi, CHRISTE, tulit!  
 Tu procul es vitio, tu labi remotus ab omni,  
 Turpe nec admisso criminè nomen habes;  
 Sed tibi nostra parit tantos infania luctus,  
 Vnica poenarum nos tibi caussa sumus.  
 Sic igitur iunctis gestabis vincula palmis?  
 Verbera cum verbis sic odiosa feres?  
 Tunc dolorifera paliuri cuspidi pungi,  
 Tu colaphis, Regum maxime, dignus eras?  
 Nos istas potius plagas meruisse fatemur,  
 Tu quod agis, nostri victus amore facis.  
 Tu caperis, nullo me tangat ut hostis in ævo,  
 Spretus es, ut per te laetus honore fruar.  
 Ferrea captiuum te nodis vincula torquent,  
 Vincula tu manibus soluis iniqua meis.  
 Serta tibi teneram pertundunt spinea frontem,  
 Ut mea sidereum frons diadema ferat.

Oppetis

Oppetis horrendam sub iniquo iudice mortem,  
 Tuta sit a cunctis ut mihi vita malis.  
 Mortua terreno deponis membra sepulcro,  
 Contegat errores semper ut vmbra meos.  
 Te via postremo stygias deducit ad vndas,  
 Huc vbi pugnaces soluis in arma manus.  
 Tartara perfringis, spoliatum viribus hostem,  
 Monstraque sulphureis omnia mergis aquis.  
 Concidit infami pariter mors horrida lapsu,  
 Telaque iam manibus non nisi fracta gerit.  
 Lux vbi iam roseis fulgebat tertia bigis,  
 Strenuus edomito victor ab hoste redit.  
 Pone tuos longo succedunt ordine gressus,  
 Qui prius experti vincula ditis erant.  
 Hi tibi cum plausu latum pæana canebant,  
 Inque dabant laudes pectus & ora tuas.  
 Et celebrem clara dicens in luce triumphum,  
 Inferni spoliis sidera diues adis.  
 Ira suos igitur compescit victa furores,  
 Iam pater est nobis, qui prius hostis erat,  
 Lex silex, oceani labes iacet obruta fundo,  
 Omnia nunc pauido sunt resoluta metu.  
 Quas tibi Christe feram laudes? quæ carmina dicam?  
 Carmiña sunt meritis inferiora tuis.  
 Pauca tamen canimus, tunc vberiora canemus,  
 Mox vbi nos summi ceperit aula poli.  
 Interea quæso gratam mihi fugere mentem,  
 Ut tua constanti nomina laude feram.  
 Et mea iam tenues vbi vita recedit in auras,  
 Effice me regni sceptræ videre tui.

Non mihi præcipuos cupio sublimis honores,  
Est satis, extremos inter habere locum.  
Hoc mihi contingat saltem, nihil amplius opto,  
Vnicus est votis terminus iste meis.

*In Festo Pascha lambicum Dimetrum.*

**H**Ebræa Gens in Paschate  
DEVM sonabat laudibus,  
Exemta quod periculis  
Iugum Pharonis fugerat.

Nobis DEI sed Filius  
Festi ministrat gaudium,  
Qui post necis discrimina  
Die reuixit tertia.

Sed forte cogitatibus  
Tecum volutas anxiis,  
Christi resuscitatio  
Nobis ferat quid commodi?

Quin & piæ deuotio  
Mentis rogas, quid postulet?  
Quibusque festum Paschatos  
Sit exigendum cultibus?

Christus resurgens, nobilis  
Duxit triumphum gloriæ,  
Et perditos ab omnibus  
Nos liberauit hostibus.

Prostrauit orci principem,  
Qui nos prius prostrauerat:

Eumque

Eumque fidebat quibus  
Armatus armis exuit.

Mors ore frendens horrido  
Vires requirit pristinas:  
Torquet quidem nunc spicula,  
Sed fracta torquet spicula.

Contra mouens nos iurgia  
Lex conticet , furor DEI  
Est mitigatus , crimina  
Sunt lota Christi sanguine.

Euersa ditis mœnia  
Ruina perpes occupat :  
Reclusa cæli ianua  
Cunctis patet credentibus.

Eramus hostes antea ,  
In Filio sed vnico  
Sumus DEI uunc filii ,  
Et templa sancti Spiritus.

Quin CHRISTVS vt e frigido  
Viuus sepulchro prodiit :  
Sic & soli nos puluere  
Olim caput leuabimus.

Imo nitore fulgida  
Vehemur ad palatia ,  
Deoque iuncti cœtibus  
Viuemus in cœlestibus.

Tantas opes & commoda,  
**CHRISTVS** suo quæ cœtu*i*  
 Letho resurgens attulit,  
 Fide tibi fac applies.

Porro tuis in sensibus  
 Si quid vigoris conditur,  
 Id omne reddat gratias,  
 Tuæ salutis vindici.

Depone sordes criminum,  
 Deoque posthac viuito :  
 Sic nempe festum Paschatos  
 Sancte pieque transiges.

### H Y M N V S.

*De resurrectione Domini, e germanico  
 redditus.*

#### I.

**S**pes hominum, **CHRISTVS**, nostræque salutis  
 origo,

Vindice quo pugna mors superata fuit,  
 E tumulo superas lucis surrexit in auras,  
 Ausaque sub vincis impia capta domat.

#### II.

Quem pia delicti peperit sine crimine virgo,  
 Pro nobis iram pertulit ille patris.  
 Seque dedit medium nos inter, & inter olympum;  
 Ut nos exciperet cura fauorque DEI.

#### III.

## III.

Mors , labes , satanas , vitæ lux , gratia cæli ,  
 Inuita CHRISTI stantque eaduntque manu .  
 Ille potest miseris veram conferre salutem ,  
 Quotquot ad hunc gressu se properante ferunt .

*Feria secunda Paschæ , Luc. 24.*

**F**ELICES nimium , pietas quos cogit in vnum !  
 Namque DEI Natus , mortali stirpe creati  
 Sunt cui deliciæ , medium se sistit in illis :  
 Erudit & mentes , solatur pectora , lapsos  
 Attollit , cæcis fulgorem cordibus infert .

Paschatos in feriis ( res ut manifestior vno  
 Fiat in exemplo ) Cleophas Emaunta petebat  
 Cum socio , quos cura noui casusque doloris  
 De CHRISTO tristes iussit miscere loquelas ,  
 Et quantus fuerat , morbi seu quando leuaret  
 Mollibus oppressos , seu quando resolueret ora ,  
 Expediens verbi sensum , normamque salutis :  
 Et quam crudeli sub iniquo iudice morti  
 Traditus , & ligno clavis affixus in alto ,  
 Fuderat innocuo miseram cum sanguine vitam .

Hunc fore crediderant , placidæ qui gaudia pacis  
 Redderet afflictis , & sumtis fortiter armis  
 Finibus e patriis peregrinos pelleret hostes ,  
 Cuncta sed euentu iam nunc contraria ferri ,  
 Spemque procul tenues omnem fugisse sub auras .

En vero , mersum tristi quem morte putabant ,  
 Spem præter , comitem moestis se iungit , & illos  
 Obiurgat

Obiurgat' primum, fidei quod luce relicta,  
 Se passi fuerant errorum gurgite mergi:  
 Post illis verbi fontes, & sacra recludit  
 Quæ de Messia tulerant oracula vates.  
 Sic, ait, est visum superis, sic fata ferebant,  
 Ut post fortunæ casus, lethique dolores,  
 Intraret CHRISTVS cælorum victor honores.

Postremo cum iam phœbi rota pronior ibat,  
 Serus & oceani se tolleret hesperus vndis,  
 Succedit tectis vna mensisque recumbit,  
 Atque docet facto, numeris quod gaudeat istis  
 Se miscere, quibus veræ stat cura salutis:  
 Et quamuis abitum simulet, prece supplice cordis  
 Se tamen & casta patiatur voce teneri.  
 Nos quoque si CHRISTI nobis præsentia curæ,  
 Grata DEO pietas quocunque requirit, agamus.  
 Ora sonent precibus, castos mens integra mores  
 Spiret, honoratas reddant præcordia voces,  
 Spurcites absit, petulansque licentia linguae:  
 Casta DEI Natum retinet, vox spurca repellit.

*Ad Christum resuscitatum, Feria tertia  
 Pasche, Luca 24.*

**N**ON eras spectrum, bone CHRISTE,  
 corpus  
 Quando post mortem tumulo leuabas:  
 Sanguinis nostri tibi copulata  
 Membra gerebas.  
 Ut fidem veri faceres alumnis,  
 Qui tuos greffis fuerant secuti:  
 Exhibes

Exhibes illis solidi videndos  
Corporis artus.

Non habet carnem, neque tecta carne  
Offa, qui mentes trepidas pauore  
Spiritus vexat, redit & fugaces  
Lapsus in auras.

Tu gradu nobis propiore iunctus,  
Sustines nostram sine labe massam,  
Nec semel sumtum tibi corpus, vlo  
Deseris æuo.

Imo cælorum super astra vectum  
Hoc idem summo folio leuasti,  
Nunc vbi cinctam radiis perenni  
Luce refulget.

Quid metus nostros animos fatigat  
Amplius? fratrem residere nostrum  
Cum polo constet, prece qui reflectat  
Numinis iras.

Pro dolor, tristi gemitu fatemur,  
Esse nos culpa nimium grauatos:  
Ante sed patrem scelus omne Christus  
Tegmine condit.

Ille nos pœnis patiendo soluit,  
Ille nos vita moriendo donat,  
Et resurgendo miseris recludit  
Limina cæli.

Christe

Christe pro tantis meritis rependunt  
Ora, quas possunt, tibi nostra grates,  
Sit tibi virtus, tibi laus, & omni  
Robur in æuo.

*Ratio humana cœca in rebus Diuinis, Domini-  
nica Quasimod. Iob. 20.*

**I**N rebus quas summa DEI sapientia tractat,  
In primis ratio lumine nostra caret.  
Arcanis superum semper contraria dicit,  
Et DEVS adfirms quidquid, id illa negat.  
Lucis in aspectum sibi postulat omnia ferri,  
Omnia præsenti vult tetigisse manu.  
Id probat exemplo Thomas, vestigia stultæ  
Instar & exemplum qui rationis habet.  
Rem quia ducebat vanam, post funera CHRISTVS  
Ex ima viuus quod rediisset humo.  
Sed lateris vulnus palmasque videre volebat,  
Per quas traiectus cuspide clavus erat.  
Et nisi, dicebat, digitos in vulnera mittam,  
Auditis potero non adhibere fidem.  
Sic etiam sanctos animi dubitatio vexat,  
Nec quenquam vacuum criminè mundus habet.  
**O** homo, quid frustra mentis tibi lumina singis?  
In sacris tenebras nil nisi rebus habes.  
Lux igitur verbi monstrat tibi prævia gressum,  
Cœcus in errorum ne rapiaris iter.  
Res licet areanas cernendi copia desit,  
Mens tamen a verbo non reuoluta cedat.

Non

Non oculis etenim coram qui singula cernit,  
Qui credit nunquam visa, beatus erit.

*Christus verus sui gregis Pastor. Dominica  
Misericord. Dom. Ioh. 10.*

**N**on ouium si quis, lucri sed amore tenetur,  
Pastoris veri non agit ille vices.  
Namque lupum quando venientem pandere rictum,  
Et stragem cernit dente parare, fugit.  
Interea lupus immanes se tollit in iras,  
Et toto sparsas agmine perdit oves.  
**C**HRISTVS habet solus pastoris nomine laudem,  
Ille suos vere nouit amatque greges.  
Hos ad florentis deducit pascua campi,  
His viuas largo fonte recludit aquas.  
Excubat, & contra satanam certamina miscet,  
Exsuperat cunctos qui feritate lupos.  
**Q**uin & crudeli deponit funere vitam,  
Dilectæ mortem ne patientur oves.  
**O** age Pastorem nos conuertamus ad istum,  
Quo nemo fidæ plus pietatis habet.  
Ille peregrinos etiam procul attrahet agnos,  
Quos vagus in densis noctibus error habet.  
Tunc omnes eadem ducent ad ouilia gressus,  
Et gregibus custos omnibus unus erit.

*Consolatio, cruci piorum opponenda, Domin.  
Iubilate, Ioann. 16.*

**N**on distare procul Christus prædixerat horam,  
Traditus ad mortem qua rapiendus erat.  
Quare

Quare discipulos anceps formido trahebat,  
 Et Domini fatis ingemuere sui.  
 Sed CHRISTVS mœstis animo solatia dicit,  
 Nempe quod haud illos deseruisse velit:  
 Nam licet ad tempus retro vestigia ducat,  
 Velle tamen celerem mox reuocare gradum,  
 Atque referre gregi credentum gaudia, nemo  
 Hostili possit quæ rapuisse manu.  
 Pressa malis semper lacrymas ecclesia fundit,  
 Immundus contra gaudia mundus agit.  
 Sed breue tempus erit, quo sic fortuna feratur,  
 Namque piis restant præmia, poena malis.  
 Sustinet in partu duros muliercula casus,  
 Et variæ curas anxietatis habet.  
 Mox tamen illæfas infans vbi contigit auras,  
 Haud etiam meminit, quas tulit ante vices.  
 Gens pia sic partus veluti sub mole laborat,  
 Hoc donec lentas dicit in orbe moras.  
 CHRISTVS at extrema mundi cum venerit hora,  
 Lætitiam, duret quæ sine fine, dabit.  
 Et lacrymas omnes oculis absterget eorum,  
 Crux quibus ærumnas pro pietate tulit.

*In Die Philippi & Iacobi Apostolorum,*  
*Ioann. 14.*

*Sapphicus & Iambicus Dimeter alternatim*  
*currunt.*

**Q**ui cupid summas penetrare nubes,  
 Cælique limen tangere,  
 Prouidus

Prouidus sit, ne dubio feratur,  
 Plenoque fraudis tramite;  
 Sed DEI Natum monitus sequatur,  
 Solus piis qui semita.  
 Nam prius nobis minime licebat,  
 Cælo viam capessere;  
 Criminum fordes aditum negabant,  
 Obstabat errorum lues :  
 Sed necem Christus tolerans cruentam,  
 Riuosque fundens sanguinis :  
 Sustulit prisci maculas reatus,  
 Vitæque reclusit viam.  
 Ergo qui CHRISTVM negligens , fa-  
 lutem  
 Vanis requirit gressibus:  
 Excidet votis, veniet Parentis  
 Summi nec ad palatia.  
 Fac tuos semper bone Christe gressus  
 Spretis sequamur fraudibus.  
 Tu viam solus reseras eunti,  
 Tu vita, lux & veritas.  
 Tu tui proles & imago Patris,  
 Tu lumen es de lumine.  
 De DEO vero DEVS ipse prodis,  
 Splendorque fulges gloria.  
 Tu voluntatem miseris benignam  
 Mundo parentis explicas.

E

Ergo

Ergo quid patrem iuuat intueri?

Qui te videt, videt Patrem.

Sis bonus, felixque bonis, vagari

Hoc orbe donec cogimur.

Nec pauor nostros patiare sensus

Formido vel cor occupet.

Tu locum nobis patriæ parasti,

Inter choros cœlestium,

Pax vbi crines oleis reuincta,

Pios coronat gaudiis.

O homo felix, nimis & beatus,

Huc præuius quem duxeris.

*Spiritus S. arguit mundum de peccato, iustitia*

*& iudicio, Dominica Cantate,*

*Ioann. 16.*

**C**Um de peccato Flatus sacer arguit orbem,

Quam sit peccati vis truculenta docet.

Non externa DEV M solum modo crimina lœdunt,

In iustum cordis sed quoque lœdit opus.

Si quod id est, cunctis atrocius esse putatur,

In CHRISTI meritis non posuisse fidem.

Porro iustitiae condemnat nomine mundum,

Qui non iustitiae quæ sit origo tenet.

Contemnit CHRISTVM, propriis confidit in actis,

Ante DEV M cœni quæ tamen instar habent.

CHRISTVS habet solus caussam meritumque salutis,

Quo sine nemo potest regna videre poli.

Denique

Denique iudicio mundi contraria dicit,  
     Qui crucis innocuos mole perire putat.  
 In rabiem quamuis stygius se colligat hostis,  
     Hos tamen interitu non abolere potest.  
 Nam cecidit caussa rabidi dux iste furoris,  
     Et vixtus CHRISTO conficiente iacet,  
**O** quam magna doces, Flatus sanctissime, felix  
     Doctrinas auida qui bibit aure tuas.

*Vis pie precatiōnis, Dominica vocem  
Iucunditatis.*

**E**st Regi superum res grata precatio, sed quam  
     In CHRISTI fundit nomine vera fides.  
 Hæc se magnificis præstantem viribus effert,  
     Et quod fata queat vincere, robur habet.  
 Nam se tollit humo, cælique perambulat oras,  
     Et faciem summi sistitur ante DEI.  
 Nec prius absistit, gemitus iterare sonantes,  
     Expetiit votis quam prius omne suis,  
 Sic igitur gemitu deuota precatio vincit,  
     Præfidiis nemo quem superare potest?  
 Sic tandem paritur sese clamore ligari,  
     Immensum cuius brachia robur habent?  
 Felix qui votis non deficientibus instat,  
     A facie vacuus non abit ille DEI.  
 Si fuerit curis ninium turbatus, habebit  
     Gaudia, si clausus carcere, liber erit.  
 Si bello cinctus funesto, viator abibit,  
     Si pauper, multas experietur opes.

Sed quid opus multis ? vis est immensa precanti,  
Impetrat & votis omnia, vera fides.

**I**d iuramento CHRISTVS confirmat , & vsus  
Exemplum veri quotidianus habet.

*Institutio Ministerii, Marc. 16.*

*Festo ad scensionis Christi.*

**S**Acra Ministerii primus fundamina iecit  
Natus, qui vere nos amat ipse, DEI  
Nam cum vitales fuerat reuocatus in auras,  
Vellet & ad cæli iam remeare domos.  
Discipulos iussit totum transire per orbem,  
Et summi populis edere sensa DEI.  
Quisquis, ait, lotus fuerit baptismatis vnda,  
Inque DEI credet nomine, saluus erit.  
Cuius at in meritis non stat fiducia CHRISTI,  
Damnatus stygiis ille peribit aquis.  
Tradidit & geminas illis insignia claves,  
Ex quibus hæc facinus soluit, at illa ligat.  
Quisquis es, haud vocem temere contemne ministri,  
Qui peragit CHRISTI doctor in orbe vices.  
Hoc tibi si vitæ soluente remittitur error,  
Error & in cæli sede remissus erit.  
Turpibus ast si te vinculum retinebis in ausis,  
Perpetuo statuet te tua culpa reum.

*Spiritus S. veritatis interpres, & Paracletus  
piorum, Dominica Exaudi, Ioh. 15. & 16.*

**S**piritus excelsus CHRISTVS quem mittit olympos,  
Est veritatis arbiter.

**Abdita**

Abdita nam sacræ doctrinæ sensa recludit,  
     Caliginemque discutit.  
 Nemo Deum prolemque Dei normamque salutis  
     Hoc absque nouit cernere.  
 Mentibus hic radios & amorem cordibus infert,  
     Spargitque pacis semina.  
 Præterea dulci Paracleti nomine gaudet,  
     Soluat pios quod luctibus.  
 Nam quoties litem nobis capitisque periculum,  
     Intendit hostis improbus :  
 Adstat, & ancipiti soluit formidine mentes,  
     Fractisque robur fuggerit.  
 Nostræ, nec infami pingi sinit ora rubore,  
     Cum stamus ante iudices.  
 Et licet in lethi partem nos fatâ reponant,  
     Tamen leuat mentes metu.  
 Sint igitur magno firmatæ robore turres,  
     Arces & hostes arceant;  
 Sint fossis cinctæ sint altis moenibus vrbes;  
     Sit fortitudo rupibus:  
 Cor tamen, aura DEI lœto quod robore firmat,  
     Robusta vincit omnia.

*Carmen in Festum Pentecostes.*

**C**ynthius auratum boreæ nunc admouet axem,  
     Frugibus & grauidam fortius vrit humum.  
 Sylua comas renouat, virides dant gramina campi,  
     Arguta montes voce salutat aus.  
 Omnia nunc rident, facies nunc optima rerum,  
     Nunc passim totus gaudia mundus agit.

Festa dies pariter reuoluto redditur anno,  
 Quæ sancte prisca patribus acta fuit.  
 Namque DEVS nebulas inter flammasque micantes  
     Hac legem fertur luce tulisse suam,  
 Quæ normam recti tradit mentesque gubernat,  
     Turpiter in scelerum ne rapiantur iter.  
 Quin cunctos etiam fumanti destinat orco,  
     Iussa DEI contra qui petulanter agunt.  
 Ut vites igitur mortem stygiasque paludes,  
     Mortales meritis affice, laude DEVVM.  
 Nunc etiam tantos festi celebramus honores,  
     Caussa rei nobis sed melioris inest.  
 Nam sacer arcano procedens Numine Flatus,  
     Discipulis cæli missus ab arce fuit.  
 Non is terribili prostrernit fulmine mentes,  
     Sed pauidis vires lætitiamque creat.  
 Eiicit errorum tenebras lucemque reducit,  
     Frigida viuifico corda tepore fouet.  
 Hinc quia festiui surgit mihi carminis ordo,  
     Aura precor coeptis annue sancta meis.  
 Te sine nequicquam panduntur carbasa ventis,  
     Sola regis dubiam tu cynosura ratem.  
 CHRISTVS vbi lucis post fata relatus in auras,  
     Fractaque tartarei mœnia ditis erant:  
 Quos fuga dispulerat socios, reuocabat in unum,  
     Et pauidis miti sustulit ore metum.  
 Quid vobis cura mens excruciatur inani?  
     Vis mundi per me victa recumbit, ait.  
 Ite per orarum tractus, populosque per omnes,  
     Et meriti laudem spargite voce mei.

Viribus

Viribus exuitur fumosi tortor auerni,  
 Efferus in miseros qui prius arma tulit.  
 Lex filet, ingenti mors est absunta triumpho,  
 Oceano labes omnis operata iacet.  
 Quisquis crediderit, sacra lustratus & vnda  
 Fugerit errorum crimina, saluus erit.  
 Magna quidem vestras tenet ignorantia mentes,  
 Fluat & dubio spes agitata metu:  
 Quem tamen ætherio demittam vertice, Flatus,  
 Solertes spacio vos breuiore dabit,  
 Vestaque transfundet tantas in pectora vires,  
 Quas poterunt nullis flectere regna minis.  
 Ergo licet gentes ira fremituque tumescant,  
 Irrita cum fremitu vis tamen omnis erit.  
 Dixerat: & redditum cæli molitus in arcem,  
 Per caua paulatim nubila vectus abit.  
 Ecce dies tulerat iam quinquagesimus ortum,  
 Post gelida viuus quam rediisset humo:  
 Incepit subito misceri murmure cælum,  
 Mota repentinis & dabat aura sonos,  
 Impletuitque nouo totum spiramine testum,  
 Coetus amans CHRISTVM tunc vbi iunctus erat.  
 Mox sacer appetit manifesto Flatus in igni,  
 In noua lustratos & mouet acta viros,  
 Nempe DEI totum magnalia ferre per orbem  
 Ad cælum gentes & docuisse viam.  
 Hic varias edi voces audire licebat,  
 Et tolli summo laudis honore DEV.M.  
 Fallere qui pisces vnco prius ære solebant,  
 Ictibus & conti sollicitare fretum,

Iam doctrinarum mirandis dotibus aucti,  
 Ore sonos, nunquam quos didicere, mouent.  
 Quin reges populosque docent, mundique furores  
 Et satanam contra fortiter arma gerunt.  
**A**tonitas hominum capit admiratio mentes,  
 Et virtus omnes vnde sit ista rogant?  
**C**onsistens medio galilæus in agmine Petrus,  
 Ignaros fati de nouitate docet.  
**S**ancta que priscorum pandens oracula vatum,  
 Esse sacri perhibet Flaminis illud opus.  
**N**am DEVS extremo mundi sub cardine, sanctis  
 Pollicitus dotes Numinis huius erat.  
**O**dotes, quas nulla vehet sat laudibus ætas,  
 Donec erunt vates, carmina donec erunt.  
**T**erra suo viuum gremio licet orpheo reddat,  
 Et linus auratum pectine tundat ebur,  
**I**pse lyram cantu præstans moderetur apollo,  
 Digna sat arcanis non tamen hisce canent.  
**N**am velut hic Flatus mirando Numine præstat,  
 Sic operas miras miraque dona creat.  
**I**lle Patris Natique DEVS de corde resultat,  
 Principii metas non tamen ortus habet;  
**L**onga sed excedens cunctarum secula rerum  
 Nullius includi temporis orbe potest.  
**Q**uando nouam traherent mundi primordia formam,  
 Et Domini verbo cuncta creata forent:  
**I**lle fouens liquidas placidis afflatibus vndas,  
 Naturæ tenerum viuiscabat opus.  
**H**ic idem veterum mouit præcordia vatum,  
 Et docuit casus hos aperire nouos.

Affore

Affore nempe diem, Christus quo missus in orbem  
 Indueret nostræ flebile carnis onus,  
 Spargeret & verbi voces, morbosque leuaret,  
 Pastor aberrantes & reuocaret oues,  
 Muneris inque via torrentis sumeret haustus,  
 Frangeret & mortis mortuus ipse minas,  
 Ætherias tandem victor remearet in auras.  
 Celsaque sublatum ferret in astra caput.  
 Post vbi iam Christus sacrum iordanis ad amnem,  
 Baptismi vitreis ablueretur aquis.  
 Chaoniam referens gestu facieque columbam,  
 Desuper alarum remige carpsit iter,  
 Seque sacrosancto statuens in vertice CHRISTI,  
 Signa Redemptorem testificata dedit.  
 Illius in totum fundit se gratia mundum,  
 Ille locum rebus destinat, ille decus.  
 Astra tenent cælum, formosos hesperus ignes,  
 Phœbus honoratas spargit ab axe faces.  
 Cornua iam phœbe, iam plenum colligit orbem,  
 Et loca nocturnis omnia lustrat equis.  
 Terra parit flores, maturas cæpsum aristas,  
 In silvis pulcras explicat arbor opes.  
 Sufficiunt imæ iumentis pabula valles,  
 Suauiter in summis collibus sua rubet.  
 Traiiciunt volucres adductis nubila pennis,  
 Äquoreæ vario pisce natantur aquæ.  
 Sæua per umbrosos errant animalia lucos,  
 In pratis teneræ deliciantur oues,  
 Quicquid vbiique viget, lucemque tuetur olympi,  
 Ex isto vita Numine munus habet.

In primis homines donis ingentibus ornat,  
 In melius quotquot se patiuntur agi.  
 Expurgat mentes horum nebulasque repellit,  
 Et docet ex verbi luce videre DEVM.  
 Nam verbum cælo CHRISTVS quod protulit alto,  
 Æternæ solum munera lucis habet.  
 Cuius ad ardorem nolit qui vertere sensus,  
 In tenebris æui tempora semper aget.  
 Nos contra quoties ricu se pandit auernus,  
 Tortor & ad poenas acta nefanda vocat;  
 Nec qui defensos violentæ subtrahat iræ,  
 Mortis & auertat tela minacis, adest:  
 Tunc sacer hic Flatus recreat solamine mentes,  
 Et procul excussum cogit abire metum.  
 Oblati pariter testatus vulnera CHRISTI,  
 Inde quod auxilium pendeat, omne docet.  
 Is crucis in ligno vitam cum sanguine fudit,  
 Iustitiæ miseris & reparauit opes.  
 Quisquis ad hæc pleno contendit littora velo,  
 Illius e stygiis cymba recurret aquis.  
 His super assensu mens confirmata quiescit,  
 Ante DEVM querulas & mouet ore preces.  
 Ipsaque paulatim sumit fiducia vires,  
 Nec finit a CHRISTI se bonitate trahi.  
 Fata licet mundus crudelia spiret & orcus,  
 Eneruata metu non tamen illa tremit.  
 Sed veluti rupes casus perficit ad omnes,  
 Et tandem palmæ fert patiendo decus.  
 Iam video nullus poenæ cur flexerit horror,  
 Quos dedit ob CHRISTVM vis truculenta neci.

Hic

Hic perit ferro, faxis iacet ille peremptus,  
 Alter & est flammis obrutus, alter aquis.  
 Sed velut in mollem ponentes lumina somnum,  
 Fatales placide sustinuere dies,  
 Mortis & in medio latum duxere triumphum,  
 Effectum rabies nec scelerata tulit.  
**H**as animis vires quis tu nisi Spiritus infert?  
 Inuictum nemo quo sine robur habet.  
**Q**ui volet ergo, feros metuat perterritus hostes,  
 In Te spes nobis condita semper erit.  
**T**u nobis clypeum, gladios & tela ministras,  
 Fortia tu nostras soluis in arma manus.  
**C**arcere claudamur, rapidos mittamur in ignes,  
 Nostra terant crudæ dentibus ossa feræ;  
 Ore fremant hostes, rumpatur tartarus ira,  
 Sit malus egregie, qui malus esse potest;  
 Sintque tot in mundo satanæ, quot in æquore guttae:  
 Tu tamen inuictos nos Paraclete dabis.  
**T**e penes est diues cunctorum vena bonorum  
 Tu sacra diuini munera fontis habes.  
**V**Nde salutari perfundens pectora riuo,  
 Vi tacita variis visibus apta facis.  
**S**acra colunt sacri, ciues ciuilia tractant,  
 Sceptra tenet princeps, rusticus arua colit;  
**E**xplicit hic leges amplique volumina iuris;  
 Ægrotis medicas porrigit ille manus;  
**N**onnulli radio distinguunt gentibus orbem,  
 Perque meant superas cognitione domos;  
**C**ælorum vires studio scrutantur & orbes,  
 Quoque modo surgant sidera, quoque cadant;

Sunt

Sunt quibus eloquii vires natura ministrat;  
 Sunt quibus exculto carmine vena fluit,  
 Vidimus artifici quatientem cymbala pulsū,  
 Hoc tamen in cordis suauior alter erat;  
 Hic submissa gerit, sublimia sustinet alter;  
 Hic viget armorum laudibus, ille togæ:  
 Nemo tamen propriis, quidquam sibi spondet ab ausis,  
 Est munus, si quid possumus, omne tuum.  
**P**er te consilium, per te concordia floret,  
 Tu pacem terris, tu decus omne creaſ.  
 Spiritus & contra, stygiis qui præsidet vmbbris,  
 Infesto litis fuscitat igne faces,  
 Fundere nec flamas odiorum parcit in illos,  
 Quos penes est populum sacra docere labor.  
 Nam verbo quamuis omnes nitantur in vno,  
 Pars tamen a verbi tramite maior abit.  
 Et luci tenebras addunt noctemque diei,  
 Nec nisi pro CHRISTI somnia voce sonant.  
 Ex factis alii promittunt gaudia vitæ,  
 Officiis alii Numina facta colunt.  
 Pars vocat in dubium sacræ mysteria coenæ,  
 Pars hominem Christum, pars negat esse DEVVM,  
 Inde tot errores, tot iurgia, totquæ ruinæ,  
 Inde pios clades tanta luesque premit.  
 Cum leuis ambitio Doctorum corda fatigat,  
 Pax, velut a venti turbine, pulsæ fugit.  
 Turba DEI plorat, stygius sed latro triumphat,  
 Eque nouis gaudet cladibus ire nouas.  
 Mox etiam cogit rabidas in prælia gentes,  
 Omnibus & mundi partibus arma mouet.

Fulminat

Fulminat in campis, diro quatit oppida bello,  
 Tectaque vulcano depopulante cremat.  
 Inprimis rabiem populos conuertit in istos,  
 Stat quibus in CHRISTI nixa crux fides.  
 Hos contra patrio Turcum reuocauit ab istro,  
 Pannonios armis qui modo vastat agros.  
 Limina templorum sacras & destruit aras,  
 Afficit & Natum turpiter ore DEI,  
 Obtruncat ferro iuuenes tremulamque senectam,  
 Et ciet in castos stupra scelusque lares.  
 Infantum palis traiecta cadauera pendent,  
 Summus & est lucius, summus ubique pauor.  
 Sed cohibe tantos, sacer o Paraclete, furores,  
 Nec pia militia defere membra tuæ.  
 Turca quid? infensus diuini nominis hostis,  
 Sacrilegus, raptor, bestia, latro, canis.  
 Ergo repentina vindictæ collige flamas,  
 Castraque crudeli da pharetrata neci.  
 Tartareas etiam mittas in tartara gentes,  
 Arma getis in nos quæ sociata gerunt,  
 Nam quia terribili gaudent cognomine dici,  
 Fas erit ut dirum nomen in omen eat.  
 In nos & contra patrum conuerte fauorem,  
 Qui sumus in laudes turba parata tuas,  
 Quos tu sanctificas, cœlo quos afferis alto,  
 Cordibus in quorum stat tibi fixa domus.  
 Ecce velut rapidis pelagi iactamur in vndis,  
 Inque ruit nostram multa procella ratem.  
 Nunc opus auxilio, quod si nos gratia cœli  
 Deseret, ad cuius confugiemus opem?

Ad



*Ad Spiritum S. precatio.*

**E**st mihi cor durum, mens est mihi plena tenebris,  
 Sordida damnatis est mihi vita malis,  
**N**ec possum per me sanam reperire medelam,  
 Nil mihi consilii, quod mihi prospicit, inest.  
**E**rgo Patris Natique calor, Paraclete piorum,  
 Voce tuam plorans supplice posco fidem.  
**F**leste meo duras, quæ sunt in pectore, cautes,  
 Legis ab obsequium cor reuocato tuæ.  
**I**nque meis auge cælestem sensibus ignem,  
 Nox procul in ventos mentis & error eant.  
**P**ostremo fœdas naturæ subtrahe fordes,  
 Fac superet puras ut mea vita niues.  
**S**i bene quid dederis, prolem da nosse Tonantis,  
 Morte mihi cuius stat reparata salus.  
**E**t cum prostratos mihi iam mors occupat artus,  
 Lingua nec officium præstat, ut ante, suum;  
**V**illa nec occlusas vox amplius intrat in aures,  
 Et ratio sensu deficiente cadit;  
**E**xanimem quando totus me deserit orbis:  
 Oblitus nostri ne precor esse velis.  
**T**unc mihi subuenias, mihi tunc solatia dicas,  
 Ne me vis pauido terreat villa metu.  
**V**ictor ero, latusque viam meditabor olymbo,  
 Tunc mihi si tuleris Numine dexter opem.

*Hymnus ad Spiritum Sanctum aliud.*

**E**st mihi promta quidem tibi Spiritus alme vo-  
 luntas,  
 Submissum tenui reddere voce melos.

Sed

Sed quid agam? nullæ mihi sunt in corpore vires,  
 - Nec possum dignus laudibus esse tuis.  
 Ecce mihi stygius quæ vulnera fecerit hostis,  
     Aspice languores, aspice quæso meos.  
 Sunt perfusa mihi truculento corda veneno,  
     Et iaceo vultus sordidus ante tuos.  
 Insuper horrendos faciunt mihi crimina morbos,  
     Nec tibi gutta mei sanguinis vna placet.  
 Hos igitur posses non aspexisse labores,  
     Hæc posses rapidis tradere verba notis.  
 Sed quia nullius vere mens digna probatur,  
     Si non auspiciis est renouata tuis;  
 Hac etiam viuum repares in mente calorem,  
     Vtile fortassis, si renouetur, erit.  
 Illa tuas omni celebrabit tempore laudes,  
     Et gratum fuerit quod tibi, semper aget.  
 Si tamen auersas retro dimoueris aures,  
     Non mihi consilium qui ferat, nullus erit.  
 Sic statuo, per quem vitali munere fungor,  
     Is quod defensor debeat esse meus.  
 Te duce materno puer egrediebar ab alio  
     Auspice te viuus, qui nihil ante fui.  
 Tu me dissimilem truncō pecudique creaſti,  
     Sensibus & vera quæ ratione caret.  
 Ergo mihi de te ſpes eſt, ſemperque manebit,  
     Quod famuli nolis ſpernere vota tui.  
 Hoc mihi te video manefſis edere signis,  
     Te mihi præſentein quælibet hora videt.  
 Tu me a legitimo currentem tramite ducis,  
     Vt ſolet errantem ducere pastor ouem.

Sum



Sum rudis, ætherium sed tu mihi fuggeris ignem;  
 Sum reprobus, sed tu me facis esse probum.  
 Per te sidereas possum transcendere nubes,  
 Tu cognosce DEVM me facis, ipse DEVS.  
 Est mihi iucundum te præceptore potiri,  
 Tu modo discipulum me patiare tuum.  
 Nam si consilio, si te doctore caremus,  
 Noscere nemo potest, nemo videre DEVM.  
 Tolle precor tenebras, & mentem redde serenam,  
 Da mihi posse, D E O quæ placet, ire viam.  
 Tu bonus es, mirtisque simul, vereque benignus,  
 Et veniam lapsus te penes omnis habet.  
 Si vagus incautum nonnunquam decipit error,  
 Me tamen inuidum robur habere iubes.  
 Et simul oblati monstrans mihi vulnera CHRISTI,  
 Ne timeas, requies hinc tibi surget, ais.  
 Innumeris vincant quamuis tua crima stellas,  
 Hoc tamen adiutus principe, liber eris.  
 Hac ego spe sacras igitur prouoluor ad aras,  
 Et grates humili pectori lætus ago.  
 Nec vereor, si quis mihi retia construat hostis,  
 Hostibus ipse meis fortior esse potes.  
 Carcere concludar, rapidos deponar in ignes,  
 Efficiar fœuis esca cruenta feris;  
 Sintque tot in mundo satanæ, quot in æquore guttae:  
 Sum tamen in manibus tutus ubique tuis.  
 Iam video quare cunctos spreuere dolores,  
 Quos dedit immerita turba profana neci.  
 Hic periit ferro, faxis iacet ille peremptus,  
 Alter & est flammis obrutus, alter aquis.  
 Senferunt

Senserunt multi violentis funera flagris,  
 Pluribus horrendam lora tulere necem:  
 Hi tamen ut molli ponentes corpora somno,  
 Fatales placide sustinuere dies.  
 Nam sibi seruatam cæli sciuere coronam,  
 Imponet sanctis quam DEVS ipse suis.  
 Quod non deliros mundi metuere furores,  
 Nec vici tantis succubuere malis:  
 Pectore constanti fateor, semperque fatebor,  
 Illud opus meriti, Spiritus, esse tui.  
 Hunc retines etiam præsenti tempore morem,  
 Inque graui requies vera dolore manet.  
 Cum mala se cumulant, viatrix patientia crescit,  
 Crescit & in mediis spes animosa malis,  
 Ipsaque paulatim validas fiducia vires,  
 Inuicto CHRISTI robore nixa, capit.  
 O nimium felix, nec vi superabilis vlla,  
 Te ductore potest qui præeunte frui.  
 Hic quid obesse sibi possit, non curet oportet;  
 Nam quid obesse piis te prohibente potest?  
 Ille timet merito fæuos perterritus hostes,  
 Qui non arma, quibus fidere possit, habet.  
 Tu nobis clypeum, gladios, & tela ministras,  
 Tu graue das nostras robur habere manus.  
 O ego si possem meritas tibi dicere grates,  
 Oreque tam fragili si paterere cani:  
 Nulla dies, nec me nox vlla videret inertem,  
 Carminis assidui tu mihi causa fores.  
 Sed tua dum mecum quæ sit considero virtus,  
 Prorsus diffido viribus ipse meis.

F

Lucida

Lucida contemplor numerosi sidera cæli,  
 Miror & immensum totius orbis opus.  
 Suauia me recreant vernantis lilia campi,  
 Atque suum video floribus esse decus.  
 Ex quibus hic niueum, croceum trahit ille colorem,  
 Et magis hic nobis, nec minus ille placet.  
 Ipse sed autorem quoties nouisse labore,  
 Ad te me pietas, Spiritus, ire iubet.  
 Tu facis incerto spaciari limite solem,  
 Sidera tu passu semper eunte moues.  
 Hesperus, & pulsis fulgens aurora tenebris,  
 Lunaque nocturnis te veneratur equis.  
 Non libet, & longum varios foret edere ventos,  
 Quos velut ex antris cum placet ire iubes.  
 Qui peragrant totam violento murmure terram,  
 Atque solum crebris imbris omne lauant.  
 Sed reuocas, & si rerum fortuna requirit,  
 Cogere vi fortes fortior ipse potes.  
 Non tamen e nitido tua vis modo lucet olymbo,  
 Æthere vel si quid pulchrius orbis habet.  
 Quin etiam tellus, variis vberrima plantis,  
 Obuia de donis fert documenta tuis.  
 Exiguo quoties se prodit acumine germen,  
 Clamat, & autorem te docet esse suum.  
 Si traxit dubiam prius admiratio mentem,  
 Mirari tenuis rectius herba monet.  
 Quæ procul humano per se fit viua labore,  
 Et viget in cultu luxuriosa suo.  
 Sed valeant herbæ, segetes miremur in aruis,  
 Quæ propiora DEI signa potentis habent.

Rusticus

Rusticus in vacuos diffundit semina fulcos,  
 Cum grauis inuiso frigore bruma redit.  
 Hæc nix & glacies, hæc frigora, grando, pruinæ,  
 Hæc quatit assiduis humidus austeraquis.  
 Quis putet hæc olim sibi posse resumere vires?  
 Hoc forsitan nullus, qui bene credat, erit.  
 Quisquis es humanam rationem consule, dicet:  
 Mortua res vitæ nil redeuntis habet.  
 Sol tamen hibernam cursus ubi torquet ad arcton;  
 Redditur ablatus qui vigor ante fuit.  
 Mox calor in terram sociis humoribus intrat,  
 Et res visa prius mortua, surgit humo.  
 Lætaque se patulas crescendo tollit in auras,  
 Flore suas spargens vberiore comas.  
 E fragili tandem meditatur arundine spicam,  
 Quæ varias tenui margine claudit opes.  
 Ex uno videoas grano numerosa renasci,  
 Millia, si centum fundis in arua, feres.  
 Qui volet, inquirat tanti mysteria lucri,  
 Est res ingenio grandior illa meo.  
 Hic homines proprias discant cognoscere vires,  
 Quod præstare minus, quam leuis umbra queant.  
 Præterea summi perpendant Numina regis,  
 Qui solus vires, omnia solus habet.  
 Quam cito finirent nostram ieunia vitam,  
 Nos nisi continuis pasceret ille cibis.  
 Tu nisi nos aleres Flatus sanctissime, nobis  
 Morte nihil melius mox veniente foret.  
 Per te felici sucrescunt germina motu,  
 Campus habet flores te duce, prata rosas.

Tu facilem plantis afflas crescentibus auram,  
     Per te feta suas explicat arbor opes.  
 Tu potas riguo sitientes flumine sulcos,  
     Quos iterum siccis, cum libet, esse facis.  
 Ne calor hos nimius, nimium ne frigus adurat,  
     Iam phœbum remoues, iam reuocare soles.  
 Quid nos o tantis auges, Rex optime, donis?  
     Num te vita precor nostra latere potest?  
 Quid facimus, nisi quod celerem te cogit in iram?  
     Gens sumus innumeris debilitata malis.  
 Deme rosas igitur, secundas supprime fruges,  
     Supprime plantarum quicquid vbique viret.  
 Inque vicem sterili surgat paliurus in agro,  
     Spinaque cuspidibus semper acuta suis.  
 Iure facis, quodcunque facis, te iudice messis  
     Conueniens nobis non magis esse potest.  
 Mentibus ah tantas humanis esse tenebras,  
     Vt nihil in media luce videre queant!  
 Cernimus e nostro fieri nil posse labore,  
     Dona sed e manibus cuncta venire DEI.  
 Attamen ingratii totum deducimus æuum.  
     Atque pio raras fundimus ore preces.  
 Maxima pars toto si vix semel orat in anno,  
     Exhibeat grates qui tibi, nullus erit.  
 Frugibus implemur, completur asellus vt herbis,  
     Et bibimus, gelidas bos velut haurit aquas.  
 Sit tantum præsens, cunctis quod profit in horis,  
     Vnde sit, est noster non reputare labor.  
 Tu tamen idcirco nunquam tua dona recusas,  
     Nec vitiis hominum desinis esse bonus.

Sed

Sed tua perpetuos clementia durat in annos,  
 O te clementem, propitiumque D E V M.  
 Dum mihi sumo tua promtos in laude labores,  
 Et meditor placeat quod tibi forsitan opus:  
 Infinita venit variarum copia rerum,  
 Quidque prius dubito posteriusue canam.  
 Multa licet memorem, multo mihi plura supersunt,  
 Vsque adeo tecum laus tua fine caret.  
 Te penes est diues cunctorum vena bonorum,  
 Cælica tu viui munera fontis habes.  
 Ex quo nostra rigans felici pectora riuo.  
 Viuida diuersis efficis illa modis.  
 Hinc variæ certis promanant legibus artes,  
 In quibus hic pulchre, pulchrius ille sapit.  
 Sacra colunt alii maiore negocia Zelo,  
 Summus ad imperium rectius alter abit.  
 Explicat hic gemini nodosa volumina iuris,  
 Ægrotis medicas porrigit ille manus.  
 Sunt, quibus ampla parit magnas oratio laudes,  
 Sunt, quibus exculto carmine vena fluit.  
 Vidimus arguto ferientem pollice chordas,  
 Promtior in numeris hoc tamen alter erat.  
 Pluribus excelsi curæ sunt sidera cæli,  
 Nec qui naturæ mystica tractet abest.  
 Quin quod septenas extra fit fortiter artes,  
 Hoc quoque de manibus profluit omne tuis.  
 Munera summa quidem, pietas si regnat in illis,  
 Et bene si proprium dirigit Auctor opus.  
 Sed pietas tenues iuit nunc omnis in auras,  
 Atque suum fugiens deserit Auctor opus.

Nam quodcumque pios verti debebat in usus,  
 Illud in absurdos vertitur omne modos,  
 Quem penes est sacri mysteria tradere verbi,  
 Si non est rixis asper, habetur iners,  
 Dum modo longinquis perdat sermonibus horam,  
 Res bene curatas estimat esse suas.  
 Ludit, & in medium dicit conuiua noctem,  
 Et nunquam, reliquos quod monet, ipse facit.  
 Præterea cui sunt faciles in carmine vires,  
 Viribus ad turpes vtitur ille iocos.  
 Aut aduersa graues figens in viscera dentes,  
 Nil nisi quod iustos carmine pungat, agit.  
 Vix etiam tenuem nouit qui scandere versum,  
 Impurum stolido viruſ in ore gerit.  
 Quisquis es, exspecta maturas debilis alas,  
 Sæpius ante diem qui volat, ille cadit.  
 Aut quia nemo potest castam contemnere musam,  
 Si tibi mens versus scribere, scribe pios.  
 Sed quid ego tantum quæ sunt manifesta reuoluo?  
 Omnia sunt vitiis, omnia plena suis.  
 Qui dubitat, totum proprius consideret orbem,  
 Exploret gentes austre & eure tuas.  
 Quin boreæ populos etiam zephyrique reuisat,  
 Inueniet dictis pondus inesse meis.  
 Inueniet tristi natas errore tenebras,  
 Et dicet, quæ sunt optima, nemo videt.  
 Sanior impurum fugiens prudentia mundum,  
 Sidereas petiit non redditura domos.  
 Dedeceus in vito non amplius esse putatur,  
 Quin pietas nomen crimine peius habet.

Stupra

Stupra, latrocinium, fastus, periuria, cædes  
 Sunt modo virtutes, laus quibus omnis inest.  
 Qui nequit insidias, & iniquas nectere fraudes,  
 Is titulum fortis nescit habere viri.  
 Itur in insolentes, meritoque colendus honore,  
 Cogitur abieicti carceris esse reus.  
 In nos terribiles exercent iura tyranni,  
 Et veluti miseræ dilaniāmūr oves.  
 Nec dum vita manet, meliori sorte fruemur,  
 Forsan adhuc mala nos asperiora manent.  
 Tu cum præsenti depulsus ab orbe recedas,  
 Cur nos non tecum Spiritus ire facis?  
 Quis sine te poterit veram sperare salutem?  
 Hic tutus sine te quis precor esse potest?  
 Ah DEVS oppressos hostilibus eripe telis,  
 Et reuoca famulos in tua regna tuos.  
 Aut tua si statuit nobis prodesse voluntas,  
 Longius ut præsens sustineamus onus:  
 Da fortes animos, firmi da robora cordis,  
 Dextera ne pereat quod tua fecit opus.  
 Donec in ætherias ductis post funera sedes,  
 Suavis in illustri detur honore quies.  
 Interea vero cognoscas pectorē factum,  
 Hoc tibi me tenui voce dedisse melos.

*Feria II. Pentecostes, Ioann. 3.*

**Q**uid DEO charum magis esse Nato?  
 Plus luis eredam quid habere mundo?  
 Non tamen charum negat ille Natum  
 Mittere mundo.

F 4

*Quin*

Quin & hunc leto sinit occupari,  
 Ut fidem si quis retinens ab ipso  
 Pendeat, nunquam pereat, sed omni  
 Viuat in æuo.

O DEI lapsos bonitas in omnes,  
 O pii pectus placidum parentis,  
 O amor, cuius nequit ardor vlo  
 Fine prehendi!

Vix homo natum daret, vt cruenti  
 Solueret leti pedicis amicum:  
 Sed dedit Natum DEVS, vt malignos  
 Solueret hostes.

Ergo non miror monimenta mundi,  
 Mira quæ nostris animis videntur:  
 Patris æterni miseros fouentem  
 Miror amorem.

Quod meum quæso meritum? quod alti  
 Me poli Rector nimiis onustum  
 Sordibus curet, magis atque Nato  
 Diligat ipso.

Hunc premit, sed me recreat dolentem;  
 Sternit hunc, sed me releuat iacentem;  
 Hunc necat, vitæ mihi sed perennis  
 Munera donat.

Hic stupet mundus, stupet Angelorum  
 Cætus, inferni lacus extimescit,

Ipse

Ipse rex orci fremit, atque dentem  
Dente laceſſit.

Quid DEO reddas, mea mens requiris?  
Crede, peccati tenebras relinque,  
Et piis factis operata lucis  
Tende ſub auras.

*Feria III. Pentecostes, Ioann. 10.*

VERUS eſt custos ouium putandus  
Qui fores intrat ſtabuli patentes,  
Nec venenato meditatur vilas  
Pectore fraudes.

Quisquis at veros aditus relinquens  
Tecta perfringit, latebrisque fallit,  
Ille ſe furem probat, & cruentum  
Cæde latronem.

CHRISTVS electi gregis eſt Magister  
Fidus & verax, cui, sancte Flatus,  
Oſtium pandis, quoties piorum  
Corda reuifit.

Is fuos cœtus amat ac tuetur,  
Pabulo vitæ reficit, vireta  
Præuius verbi per amœna ducit  
Atque reducit.

Furta fur curans gregibusque diram  
Comparans ſtragem, venit ante Christum,  
Quando nimirum peregrina plebi  
Dogmata tradit.

F 5

Si

Si voles cæli subiisse portas,  
 Qua viam Christus referat, sequaris;  
 Ipse nam solus tibi sempiternæ  
 Ianua vitæ.

O quater felix, quater & beatus,  
 Ianuam quisquis penetrat per illam,  
 Is voluptates animæque pacem  
 Semper habebit.

Si quis at fures fuerit secutus  
 Impios, captans aditum salutis,  
 Excidit votis, stygioque fiet  
 Præda latroni.

Ad domos cæli properamus omnes,  
 Sed via ne fors dubia feramur,  
 Præuius dextra, bone Christe, nostros  
 Dirige gressus.

*Modus Regenerationis, Festo Trinit. Job. 3.*

**Q**uisquis renatus Spiritu,  
 Sacroque lotus flumine,  
 Carnis coërcet impetum,  
 Cæli subibit limina.

Quicunque vero pessimis  
 Se polluit conatibus,  
 Nec fonte vitæ mergitur,  
 Mergetur orci fluctibus.

Si vis renasci, non tibi  
 Necesse matris ingredi

Prius

Prius relicta viscera,  
Ceu Nicodemus senserat:  
Verum sacrata dogmata,  
CHRISTVS sui quæ cælitus  
Sinu parentis protulit,  
Primum reconde pectore.

Sacer DEI nam Spiritus.  
Fidem per illa suscitat,  
Sibique sedem comparat  
In cordibus credentium.

Fides prehendit gratiam  
DEI, Deique Filium,  
Qui fixus alto stipiti  
Deleuit orbis crimina,

Deinde fac baptismatis  
Sacro laueris alueo:  
Hic enim Natus DEI  
Suo rigat te sanguine.

Delicta tandem pristina  
Moresque turpes exue,  
Nec amplius libidini  
Carnis, DEO sed viuito.

Sic ante Regem cælitum,  
Instar Parentis, qui suo  
Fauore te complectitur,  
Renatus æstimaberis.

Nec

Nec mortis vltra, sed DEI  
 Minister, imo filius  
 Dilectus, & cælestium  
 Heres opum vocaberis.

*Diues epulo & Lazarus Mendicus, Luc. 16.*

*Dominica 1. p. Trinitatis.*

**O**buius incedit rerum vir diues egeno,  
 Omnia qui fecit, fecit vtrumque DEVS.  
 Si fueris pauper, tenui te subiice sorti,  
 Et crucis impositum fer patienter onus.  
 Fata caue tentes iratis lädere dictis,  
 Nec rape furtiva non rapienda manu.  
 Spem retine, casum vitæ spes subleuat omnem,  
 Spes est in mediis anchora fida malis,  
 Si non diuitias præsens tibi vita ministrat,  
 Sedibus in cæli post opulentus eris.  
 Angelus exutum vita vitæque periclis,  
 Ducet in Abrami te super astra sinum.  
 Non vbi paupertas, rerum sed copia regnat,  
 Mœror & occlusas exulat ante fores.  
 Contra si rerum te sufficientia dirat,  
 Turpiter haud vitam luxuriosus agas.  
 Non te transcendas, certo sed limite claudas,  
 Sit modus in cultu corporis inque gula.  
 Inprimis surdas tibi non stupor alliget aures,  
 Lazarus exclamans cum iacet ante fores.  
 Da vestes nudo, sitienti porrige potum,  
 Ieiuno tristem pane resolute famem.  
 Nam si clamantis voces admittere nolis,  
 Ignis in inferno, quem patieris, erit.

Hic

Hic iterum mœstis v lulatum vocibus edes,  
 Hauriet aſt nemo ſupplicis aure ſonos.  
 Quique prius dulci lauisti neſtare fauces,  
 Tunc minimus dabitur non tibi potus aquæ.

*Cœna Magna, Luc. 14. Dom. 2. p. Trinit.*

**N**On DEVS e noſtris haurit ſibi gaudia dammis,  
 Sed cunctis cœli pandit in orbe foreſ.  
 Et magnam cœnam magno ſplendore parauit,  
 Participes cuius quoſlibet eſſe cupit,  
 Propterea ſeruos fines emittit in omnes,  
 Vt cunctos, cum ſint cuncta parata, vocent.  
 Sed voceſ horum pars optima negliftit, ergo  
 Debilis & claudus captus & aure venit.  
 Hic data non ventrem replent ſed ferula mentem,  
 Applicat aſſensu quæ ſibi vera fides.  
 Si quem forte moris bos, rus, & ſponsa retardant,  
 Tunc, vbi cœleſtes quærere tempus opes:  
 Quam DEVS instruxit, cœnæ priuabitur viſu,

Gaudia nec lato corde parata feret.

Nunc cœnæ tempus, nunc inuitamur ad illam,  
 Nunc omnes motu fas agitare pedes.  
 Cum valuæ ſtererint aſtrictæ dente tenaci,  
 Post aditum faciat qui tibi, nullus erit.

*Ouis 5 drachma perdiſta, Luc. 15.*

*Domin. 3. p. Trinitatis.*

**D**iuini quem non verbi lux alma gubernat,  
 Eſt velut, ambiguoſ quam trahit error, ouis  
 Illa per incertos ducit veſtigia ſaltus,  
 Deuia per valles, per iuga montis abit.

Fortiſan

Forfitan ad caulas nunquam conuersa rediret,  
 Pastoris nutu ni reuocata foret.  
 Sic homo , peccatis nimium qui frena remittit,  
 E manibus totum se trahit ille DEI.  
 Crimina criminibus , sordes & sordibus addit,  
 Seque magis stygiis & magis addit aquis.  
 Inde nec ætherias gressum reuocaret ad auras,  
 Ni bone CHRISTE tuam cūra requirat ouem.  
 Vox tua lumen habet, quod cum resplendet in vmbbris,  
 Amissam cæcus cernit initque viam.  
 Fidaque cum monitis animas Ecclesia verrit ,  
 Abdita quæ latuit puluere , drachma nitet.  
 Me facit error ouem, sub crimine drachma recondor,  
 O me legitimo CHRISTE repone loco.  
 Nostra tuæ radios admittant pectora lucis,  
 Sit semper monitis auris aperta tuis.  
 Vt tandem patriæ reddar, veræque saluti ,  
 Ingrediar scelerum nec velut ante vias.  
 Non ita per technas qui me seduxerat hostis,  
 Cælica sed de me gaudia turba feret.

*In Feste Ioannis Baptista, Luc. 1.*

**L**UX festa, sacris ritibus  
 Colenda, nobis redditur,  
 Vates DEI qua luminis  
 Auras Ioannes attigit.  
 Dicamus ergo cælitum  
 Regi beato gratias,  
 Hunc veritatis nuntium  
 Ecclesiis quod miserit.

*Infans*

Infans adhuc cum viscera  
 Matris teneret, Angelus  
 Ætate grandi debilem  
 Ad Zachariam mittitur.

Is vatis exortum noui,  
 Vitamque narrat ordine:  
 Sed cum senex diffideret,  
 Obmutuit silentio.

Linguæ nec ante vincula  
 Soluta sunt, nec faucibus  
 Vox exiit, quam filium  
 Cunis iacentem viderat.

Hic redditus maturior  
 Ætate, mundi crimina  
 Taxauit, & nocentia  
 Falsi venena dogmatis.

Nec seminis, nec gratia  
 Flecti potentum passus est:  
 Sed rupis instar hostium  
 Contra furorem substitit.

Hic Angelus fuit, viam  
 Strauit DEI qui Filio,  
 Hic Helias virtutibus  
 Et Spiritus constantia.

Quorum metu præcordia  
 Vitæ reatus terruit,

Monstra-

Monstrauit his agnum DEI,  
Qui tollit orbis crimina.

Quin & sacro baptismatis  
 Mersos rigauit alueo,  
Quotquot perosi crimina  
 Fidem dedere Numini.

Tandem dolis ter pessimæ  
 Adulteræ, libidinem  
Quam propter obiurgauerat,  
 In carcerem protruditur.

Herodis illic innocens  
 Expertus est tyrannidem:  
 DEI dicatum laudibus  
 Ferro caput reciditur.

Hunc exitum sortitus est  
 Vir tantus, in mortalibus  
Quo nemo, CHRISTO iudice,  
 Præstantior surrexerat.

Concede sancta Trinitas,  
 Ut, quam Iohannes gentibus  
 Monstrauit ad cælum viam,  
 Sequamur omni tempore.

*Nosce te ipsum, Domin. 4. p. Trinit. Luc. 6.*

**E**st festuca mihi, tantum quæ lumina torquet,  
 Grande trabis cæco sed tibi robur inest.  
 Demere nostra tamen festucæ spicula tentas,  
 Sed tibi de propria non trabe cura venit.

His

His quid forte velim quæris? mea carmina carpis,  
 Erroris culpam quæ leuioris habent.  
 Me semper damnas, rabido me dente fatigas,  
 Me dignum pœnis grandibus esse refers.  
 Interea malefacta tegis, quibus ipse teneris,  
 Sint decuplo quamuis deteriora meis,  
 Te purgas aliis, verbis te tollis in altum,  
 Te, sceleris purus sis quasi, laude vehis.  
 O peruerse, trabem primo TIBI deme, deinceps  
 Demere festucam sit tibi cura mihi.

*In Feste visitationis Mariæ, Luc. 1.*

**H**Æc pio lux est peragenda ritu,  
 Qua nouum gestans sacra virgo fe-  
 tum,  
 Elisabethæ nimium remotas  
 Visitat ædes.  
 Montium summos terit illa calles,  
 Cæde nec diros metuit latrones,  
 Nec, per infestos habitata saltus,  
 Lustra ferarum.

Cincta diuinis vigilum catervis,  
 Motibus gressum properanter vrget,  
 Vt DEI pridem patefacta iussu  
 Nuntia portet.

Ecce spem præter, senio trementem  
 Virgo cognatam veniens salutat,

G

Mox

Mox vbi læto resonare plausu,  
Cuncta videres,

Elisabethæ latitans sub aluo  
Paruulus saltu Dominum fatetur,  
Gestit exclamans anus, atque votis  
Gaudia miscet.

Qui senex muto residebat ore,  
Spiritus lætos animo fouebat,  
Virgo diuinæ meditata laudes  
Insonat hymno.

Omnibus par est animus, fateri,  
Atque decreto statuisse, quod iam  
Messias longo gemitu vocatus  
Proximus adsit.

Quin DEVM pa&ctae fidei tenacem  
Afferunt, cuius maneat voluntas  
Fixa, nec possit cupidas salutis  
Fallere mentes.

O nouum sanctæ synodi senatum,  
Qui licet paruus numero putetur,  
Attamen legum solymis peritos  
Anteit omnes.

Dum trahit ronchos caiphas, cruentus  
Sæuit Herodes, epulatur Annas,  
Hic, quid afflictis reparet salutem,  
Sermo cietur.

Quis-

Quisquis hanc sensu synodum frequen-  
tat,  
Multa virtutum monimenta cernet,  
Mente quæ condens memori beatum  
Transfiget æuum.

*Deo benedicente labores hominum fortunan-  
tur, Domin. s. p. Trinit. Luc. s.*

**S**ola DEI rerum benedictio ditat egenos,  
Hac labor effectum nec sine noster habet,  
Nil iuuat in seram curas extendere noctem,  
Surgere venturum nil iuuat ante diem.  
Nam diuina quibus fauet indulgentia, somno  
Vel medio largas copia fundit opes  
Qui sibi forte cupit, quæ sunt manifesta, probari,  
Petrus huic CHRISTI testis alumnus erit.  
Is quamuis totas noctis fudarat in horas,  
Captus ei piscis non tamen vllus erat.  
Retia sed quando CHRISTO mandante relaxat,  
Retia multiplici pisce repleta tument.  
Nec tantum repleta tument, quin rupta fatiscunt,  
Nec patitur gemina copia naue vehi.  
Felix suppliciter Superi qui Numina poscit,  
Quam prius officii tentat & vrget opus:  
Et qui cum CHRISTO naui sociatur eadem,  
Irritus in Domino non labor huius erit.  
Qui vero propriis sibi rem promittit ab actis,  
Per fluctus tota retia nocte trahet.  
Et licet irnumeros subeat conando labores,  
Retia pisce tamen, fruge carebit opus.

*In die Mariæ Magdalena, Luce 7.*

**C**Orde peccatrix Mulier dolenti,  
Patrata luget crimina.  
Sed DEI Natum sibi mœsta quærit,  
Qui fons salutis vnicus.

Ausa qui delet scelerata mundi,  
Suoque purgat sanguine,  
Huius vnguentum pedibus ministrat,  
Rigatque sparsos lacrymis,  
Rursus exficcatur madidos capillis  
Ipsisque figit oscula.

Christus haudquaquam miseram repellit,  
Æquum Simon quod dixerat,  
Imbre sed fletus nimio rigatam,  
Blando tuetur lumine.

Et, quid o multum lacrymaris? inquit,  
Saluam fides te reddidit.

Vade, nec te post crucia, reatus  
Culpæ tibi remissus est.

Huius exempli quoties recordor,  
Me pingo mox ipsum mihi.

Pro dolor, nil sum nisi massa turpi  
Perfusa sorde criminum,  
Ad domos læfas vitiis olympi  
Oculos pudet sustollere.

Terra nec pacem mihi pollicetur,  
Offensa per me scandalo.

Ergo

Ergo tot questus repeto, madescunt  
Genæ mihi tot lacrymis.  
**Quo** miser tandem fugiam ? relicto  
    **Quis** conferet solatia ?  
 Te mihi solum statuo salutis,  
    Et posco, Christe, vindicem.  
 Ne tuam quæso faciem reconde,  
    Nec me repelle supplicem.  
 Tolle peccati maculas, relatis  
    Fac cor fruatur gaudiis.  
 Sic tuis fundam pedibus liquorem,  
    Vnguenta largus fuggeram.  
 Scilicet quidquid pietas requiret,  
    Totis sequar conatibus.  
 Teque post omni veneratus æuo,  
    Cum Magdalena diligam.

*Declaratio quinti præcepti, Domin. 6. p. Trinit.  
Matth. 5.*

**N**on externa Dei tantum lex membra requirit,  
    Legitimum cordis sed quoque poscit opus.  
 Ergo licet nullum violenta morte trucides,  
    Te cædis purum non tamen esse putas.  
 Nam fratrem contra temere qui colligit iram,  
    Ille DEO cædis iudice crimen habet.  
 Qui racha dicendo diras exfuscat orco,  
    Concilio poenam constitente feret,

Qui fratrem stultum petulanti dixerit ore,  
     Infernī pœnas vſtus in igne dabit.  
 Quid facias igitur quæreris ? Compescē furorem,  
     Fixus in offensō qui tibi corde fedet.  
 Et rursus fratri concors te gratia iungat,  
     Tu cedas illi, cedat & ille tibi,  
 Si vero memorem nimium produxeris iram,  
     Crudelis iudex & tibi tortor erit.

*Deus nobis de victu prospiciens, parsimoniam  
requirit, Domin. 7. p. Trinit. Marc. 8.*

**S**Edula ceu proli genitrix alimenta ministrat,  
     Sic & DEVS suos alit.  
 Concipit ingentem turbata mente dolorem,  
     Cum nos malis videt premi.  
 Ergo licet cassos rebus penuria vexet,  
     Non vult tamen nos perditos.  
 Sed vestes nudis, iejunis porrigit escas,  
     Potuque fauces irrigat.  
 Non autem verbi fas est contemnere voces,  
     Verbi, DEVS quod edidit.  
 Edita nam cælo qui non oracula curat,  
     Opem DEI non sentiet.  
 Sed paupertatis fundo demersus in imo,  
     Luctu sonabit anxo.  
 Ergo labor primus nobis sit quærere Christum,  
     Qui dat repertus omnia.  
 Horrida defectu quamvis deserta tenemus,  
     Cibus nec usquam suppetit:

Piscibus

Piscibus ille tamen nobis ieiunia soluit,  
 Panesque largus fuggerit.  
 Id nos turba docet, deserti in sede remota,  
 Pauit DEI quam filius.  
 Porro cum nostras arrident Numinia votis,  
 Et dant, quod vslus postulat:  
 Turpiter in donis nequaquam regnet abusus,  
 Abusus offendit DEVVM.  
 Sed ne quid pereat fragmenta legantur in vnum,  
 Quæ post tibi sint vslui.  
 Id fieri pietas & victus norma requirit,  
 Et CHRISTVS ipse præcipit.

*Pseudo-prophetæ, Dom. 8. p. Trin. Matth. 7.*

**N**on solet horrendos satanas assumere vultus,  
 Clam nobis quando vult nocuisse dolis  
 Sed capit angelico fulgentem lumine formam,  
 Tinctaque cælesti nectare verba mouet.  
 Moribus hunc referunt, populis qui somnia tradunt,  
 Et tenebras spreto lumine noctis amant.  
 Cum veniunt, humili demittunt lumina vultu,  
 Et speciem veræ simplicitatis habent.  
 Sin animum vero species sub pelle latentem,  
 Inuenies diros asperitate lupos.  
 Hi ne damna ferant incautis, signa notentur,  
 Ex quibus agnosci fraus ea rite queat.  
 Vel sub iudicium tantum doctrina vocetur,  
 Vnicus est illis quam sonuisse labor.  
 Quæ si non fuerit diuinæ consona voci,  
 Hic lupus, exitium qui struit ore, latet.

Non tibi dant tribuli fucus, nec porrigit vuas,  
 Cuspide quæ tantum lædere spina solet,  
 Putrida nec lætos producunt robora fructus,  
 Arbore de putri putrida mala cadunt.  
 Sic quibus est odio pietas, fallacia cordi,  
 Non nisi de veris tradere falsa queunt.  
 Nequaquam cunctis aperitur ianua cæli,  
 Qui semper CHRISTI nomen in ore gerunt.  
 Exprimit ait factis summi qui iussa parentis,  
 Solus præ reliquis ille beatus erit.

*In iustus Oeconomus, Domin. 9. p. Trinit.*  
*Luc. 16.*

**S**Vaserat Oecono mo vigilem solertia curam,  
 Quæ tamen in furtis prorsus iniqua fuit:  
 Sic quoque commendat nostras prudentia mentes,  
 Quæ plus delicti, quam pietatis habet.  
 Nam sibi delitias & mundi commoda quærit,  
 Quæque breui durant tempore quærit opes:  
 Interea possent animæ quæ ferre salutem,  
 Despicit, & pretii nullius esse putat.  
 Cur age non potius cæli nos cura fatigat,  
 Vnde salus ægris cordibus hausta fluit?  
 O DEVS erratis nostris ignosce, fatemur,  
 Culpa quod hæc iræ prouocet arma tuæ.  
 Tu nobis offers cælestis gaudia regni,  
 Sed nos in mundi forde latere iuuat.  
 Sit luxus, sit honos, sit cum splendore voluptas,  
 Cælica suspireret qui bona, rarus erit,

Si

Si velles igitur frenum laxare furori,  
 Vindice mox posses nos abolere manu.  
 Infere sed nobis diuinæ semina lucis,  
 Quæ magis expediant ut videamus opes.  
 Larga iuuans miseris cumulet sibi dextra fauorem,  
 Huic etiam factò laus pietatis inest.  
 Te tamen in primis nobis faciamus amicum,  
 Ius totum vitæ tu quia solus habes.  
 Quisquis opem sensit, collati testis amoris  
 Esse potest, sed non corda beare potest.

*Lacrymæ Christi super urbe Hierosolyma,*  
*Dom. 10. p. Trinit. Luc. 19.*

**C**hristus vbi solymam pompa se ferret in urbem,  
 Effuso tristes abluit imbre genas.  
 Et se reuera fieri nolente probauit,  
 In cineres tantæ quod ruat vrbis honos.  
 Nam qua lege potest reputari caussa malorum,  
 Ex quo perpetui pendet origo boni.  
 Ah quoties illam voluit quasi condere plumis,  
 Vim contra pullos matris ut ala tegit.  
 Sed peruersa D E O renuit parere vocanti,  
 Et fidos clausa reppulit aure sonos.  
 Quin strauit missos crudeli cæde Prophetas,  
 Sæpe quibus lapidum funera grando tulit.  
 Interitus igitur cauſsam sibi texuit ipsa,  
 Et propriæ culpam perditionis habet.  
 Quisquis agis turpi maculatam criminè vitam,  
 Hic tecum certe quod mediteris habes.

G 5

Ecce

Ecce pio CHRISTI rorantia lumina fletu,  
 In melius nolis quod rediisse dolet.  
 O age mature sceleratos exue mores,  
 Et Nati lacrymis fac moueare DEI.  
 Sin breuis in vitæ spacio neglexeris illas,  
 Quippe tibi longi caussa doloris erunt.

*Pharisæus & publicanus, Domin. II. p. Trinit.  
 Luc. 18.*

**L**Aude tumens propria trahitur Pharisæus in altum,  
 Omnibus & dignum se magis esse putat.  
 Et tanquam meritum cœli sibi regna requirit,  
 Externæ celebrat dum pietatis opus,  
 Sed contra manceps luctu confusus acerbo,  
 Nil nisi supplicium se meruisse refert.  
 Imo nec ad cœlos audet sustollere vultus,  
 Quos sceleris testes nouerat esse sui.  
 Mæsta sed adductis quatiens præcordia palmis,  
 Sis, inquit, mitis sis mihi quæso DEVS.  
 Hic bona iustitiae CHRISTO tribuente recepit;  
 Lufus at ambigua spe Pharisæus abit.  
 Haec reputes, quicunque viam meditaris olympos,  
 Subleuet & fastus ne tibi corda caue.  
 Nam quid habes, quare posses attollere mentem?  
 Es cínis & coram nil nisi culpa DEO.  
 Quod si digna tibi deberent dona rependi,  
 In stygias rueres mox agitatus aquas.  
 Deiice te potius nubesque precando fatiga,  
 In mortem ne te culpa maligna trahat.

Cor

Cor DEVS elatum tenebras deturbat in imas,  
Trita sed ex ima pectora nocte leuat,

*Surdus & mutus, imago generis humani,*  
*Domin. 12. p. Trinit. Marc. 17.*

**S**I nouisse cupis clades te quanta fatigat,  
O homo fac oculos huc animumque feras.  
Te quoque delicti surdum truculentia fecit,  
Nec quos debebas percipis aure sonos.  
Insuper astringunt segnem tibi vincula linguam,  
Nec potes æterno grata referre DEO.  
Non tamen humana quæras ex arte salutem,  
Pharmaca conducant quæ tibi CHRISTVS habet.  
Eius in aspectum te spes animosa reponat,  
Da gemitus, humili pectore funde preces.  
Sat scio, nequaquam dura te fronte repellat,  
Sed fuit in votis quod tibi cunque feres.  
Adiutus tandem, superis da præmia laudum,  
Et refer: Est CHRISTVS qui bene cuncta facit.  
Ille datis surdas recludit vocibus aures,  
Ille leues muto prouocat ore sonos.

*De eo, qui in latrones inciderat, Domin.*  
*13. p. Trinit. Luc. 10.*

**V**ir quidam solymæ cum moenia linqueret urbis,  
Et peteret pingues hierichuntis agros:  
Errantem diri spoliarunt veste latrones,  
Et nudum media deseruere via

Insuper

Insuper incusso meditati vulnere mortem,  
 In miserum sœuas exacuere manus.  
**I**lle iacens ægre vitam spirando trahebat,  
 Latrones celerem corripuere fugam.  
**H**uc tulerat leuita gradum, tuleratque sacerdos,  
 Solamen tristi neuter opemue tulit.  
**S**amariæ donec contendeter hospes ab oris,  
 Ingemit, & medici fuscipit ille vices,  
**P**artibus affectis oleum vinumque ministrat,  
 Hospitis inque virum tecta benigna vehit.  
**P**ostera conspicuo cum lux procederet ortu,  
 Inceptum repetit Samaritanus iter,  
 Et geminos loculis nummos depromit, & huius  
**O** Præses curam fac bene, dixit, agas,  
**P**lura dehinc si fors insumferis, omnia reddam,  
 Huc vbi conuersos mox reuocato pedes.

### ALLEGORIA.

**P**rimus homo Numen spreta pietate reliquit,  
 Et vetitas culpæ coepit inire vias.  
**A**versum stygii spoliarunt veste latrones,  
 Integra iustitiæ laus, ea vestis erat.  
**P**ræterea nudi strauerunt vulnere corpus,  
 Et totum vitæ surripiuere decus.  
**M**embra venenatam traxerunt omnia labem,  
 Nec peragunt partes illa nec illa suas.  
**C**or abit in vetitum, mens est obducta tenebris,  
 Cæcus & obscuris sensibus error inest.  
**L**ex consulta quidem casus aspexerat istos,  
 Sed poterat medicas non adhibere manus.

CHRI-

CHRISTVS at e cæli longe qui venerat oris,  
 Optatam potuit ferre salutis opem.  
 Is tegit errores nostros, is vulnera sanat,  
 Instillans guttas palladis atque meri.  
 Nam primo legis prostrernit fulmine mentes,  
 Post euangelii pectora voce leuat.  
 Hospiti⁹ requiem miseris ecclesia præbet,  
 Quo veluti impositos nos tibi CHRISTE vehis.  
 Scilicet hic tradis verbi mandata ministris,  
 Vel terrere malos, vel recreare bonos.  
 Quisquis constanter partes tractauerit istas,  
 Immensas dotes, te redeunte, feret.  
 Nunc abes, & longe redditum differre videris,  
 Sed propera, & si vis CHRISTE redire, redi.

*Lepra imago peccati, Domin. 14. p. Trinit.  
 Luc. 17.*

**L**Ex velut in cœtum leprosos ire vetabat,  
 Cetera contraheret ne quoque turba luem:  
 Ira DEI cæli sic nos a cœtibus arcet,  
 Criminis infectos quos lue culpa facit.  
 Hinc procul ad cæli voces tamen astra leuamus,  
 Atque tuam miseri CHRISTE rogamus opem.  
 Ad verbi sed tu gressum nos ferre ministros,  
 Et vitæ morbos his aperire iubes.  
 Hic noxam contra nobis fomenta parantur,  
 Vera datur nostris hic medicina malis.  
 Cuius vbi vires ægrotus percipit vsu,  
 Exeuesso sceleris crimine sanus abit.

Huc

Huc omnes properant, hic omnes forde leuantur,  
 Conuersus grates vix tamen vnuis agit.  
 Scilicet hic mos est, quo gens humana tenetur,  
 O res perpetuis excruicianda malis.  
 Nate DEI, nobis meliores insere sensus,  
 Fac meritis vigilant pectora nostra tuis,  
 Quod sit parta salus, ad te laus transeat omnis,  
 Tu quia fons omnis, primaque cauſa boni.

*Sollicitudo prohibita, Domin. 15. p. Trinit.  
 Matth. 6.*

**S**ors melior flores beat aëriasque volucres,  
 Quam mala quem victus sollicitudo premit.  
 Lilia non referunt vlos ad pensa labores,  
 Otia nec telis inuigilando terunt.  
 Non minus egregio tamen exornantur amictu,  
 Plus lucis cultu qui Salomonis habet.  
 Vlla vagabundas torquet nec cura volucres,  
 Vna nisi, lætos ferre per arua sonos.  
 Non sata dant fulcis, nec frugibus horrea complent,  
 Vnde tamen viuant sufficienter habent,  
 Solus homo curis animum mordacibus vrget,  
 Nec locat in summi spem bonitate DEI.  
 Ingemit, & cunctis secum scrutatur in horis,  
 Vnde sibi vestes comparet, vnde cibos.  
 Sed quid desipimus? magni cur lilia campi,  
 Aut teneras quare non imitamur aues?  
 Anne cibos nobis, vitæ qui tradidit vsum?  
 Non vestes, corpus qui dedit, ille daret?

Justitiae

Iustitiae cæli potius sit cura parandæ,  
Adiicit nobis cætera, cura DEI.

*Mors stipendium peccati, Domin. 16. Trinit.  
Luc. 7.*

PECCATI merces mors est, peccauimus omnes,  
Mortis ob id cunctos vis truculenta manet.  
Non te defendunt præstantes viribus anni,  
Nec generis lucem mors, neque curat opes.  
Sed velut incedens messor prosternit aristas,  
Falce tumens hominum sic metit illa genus.  
Christus ad immensum capit hac e forte dolorem,  
Optatam miseris & meditatur opem.  
Assumens etenim mortales corporis artus,  
Morte sua regnum destruit omne necis.  
Ergo licet terræ cogamur puluere condi,  
Terra tamen minime nos retinere potest.  
Sed CHRISTVS iudex vbi mox aduenierit, omnes  
Tollere lugubri membra iubebit humo.  
Tunc viduæ natus, tunc raptis gaudia curis,  
Pristinus & miseris restituetur honos,  
Funera si tanto reparantur fenore, vitæ  
Principium recte quis neget esse mori?

# SACRORVM CARMINVM

## *Liber Tertius.*

*Carmen de angelis bonis & malis.*

**H**anc quoque solenni celebrabo carmine lucem,  
 A duce cognomen quæ Michaele tenet.  
 Militiamque DEI fortem, belloque potentem,  
 Et data præsidio signa ducesque canam.  
 Ad citharas mea musa redi chordasque sonantes,  
 Et bene quod sensus mulceat, ede melos.  
 In mentem quoties reuoco, penitusque reuoluo,  
 Afficiat quanta nos bonitate DEVS:  
 Miror, & affectum blandi cognosco parentis,  
 Quem pius in sobolem tangit & angit amor,  
 Ille rudes primum matris nos euocat aluo,  
 Et iubet e tenebris ire, videre diem.  
 Veste tegit nudos, iejunis sufficit escas,  
 Ora salutari sicca liquore rigat.  
 Et quia perpetuo iactamur turbine rerum,  
 Quassatur medias nauis ut inter aquas:  
 Adstat, & incursi fortunæ temperat omnes,  
 Et ne vis timidos obruat vlla cauet.  
 Quid loquar, angelicos proceres, vigilesque beatos,  
 Quos latus ad nostrum semper adesse iubet?

Hos

Hos scelerum puros virtutum gloria tollit,  
 Nos mala peccati culpa luesque premit,  
 Non tamen affectu nos deditantur amico,  
 Labe volutatos grex sine labo colit.  
 Scilicet ad Domini sese componere morem,  
 Naturæ bonitas non vitiata iubet.  
 Is quoque Rex cælo quamuis dominetur & orbi,  
 Cor tamen in miseros mite piumque gerit.  
 Erigit abiecos, tristes solatur, egenos  
 Suscipit, afflicti fert miseratus opem.  
 Prima nouum radiis vbi lux conspergeret orbem,  
 Altaque cælorum tempa crea ta forent:  
 Hos perhibent ortu primum venisse sub auras,  
 Inque triumphantes emicuisse choros.  
 Qui paribus lætos meditati vocibus hymnos,  
 Cœperunt summa laude referre DEVM.  
 Tota poli circum sonuerunt atria cantu,  
 Ita repercussum reddidit aura melos.  
 Non illis moles, digitis quam tangere possis,  
 Obsita nec densis carnibus ossa gerunt  
 Sed ventos referunt celeres, flamasque micantes,  
 Lumen & astrorum lumine maius habent,  
 Mente sacram condunt legem, rectique tenaces,  
 A vera gressum non ratione mouent.  
 Ante DEI semper consistunt ora, parati  
 Ad nutum iussas ire redire vias.  
 Mortales tamen in primis mittuntur ad illos,  
 Qui CHRISTI fido pectore Numen amant.  
 Quique pium castis ducentes moribus axum,  
 Ne statuat fontes culpa maligna, cauent.

H

Hos

Hos acie cingunt forti, noxasque repellunt,  
 Turba ruens imo quas phlegetonte mouet.  
 Dux Michael certa disponens lege cohortes,  
 Bella cruentato marte cruenta premit.  
 Stant proceres ferrumque tenent hostemque fatigant,  
 Sancta nec euerti limina clade sinunt.  
 Siue dies lucem portet, nox siue tenebras,  
 Muneris ad partes robur & arma ferunt.  
 Et quia solerter poscit victoria curam,  
 Insomnes ducunt in statione vices.  
 Sed contra fugiunt, scelerum qui gurgite mersi,  
 Se nolunt monitis ad meliora trahi.  
 Nam fimus ingrato veluti fœtore columbas,  
 Et solet aërias pellere sumus apes:  
 Mens ita cælestes arcet peruersa ministros,  
 Excipit impietas nec benefacta DEI.  
 Ergo volet si quis tutam traducere vitam,  
 Inque bona lætos pace videre dies:  
 Nequaquam vetitis sibi spem præsumat in ausis,  
 Omne nefas grauiter vindicat ira DEI.  
 Corde sed innocuo factis operetur honestis,  
 Carpere nec vigiles vrgeat hosce fugam.  
 Militia cæli pulsa, Dux pessimus orci  
 Captat oportunas ad sua vota vias.  
 Fac tibi nostra DEVS mens semper adhæreat vni,  
 Et vocet ad normam, quod facit omne, tuam.  
 Sæpe quidem factu quæ sint meliora videmus,  
 Sed mala nos error semper ad ausa trahit.  
 Tu bonus iccirco languentes assere vires,  
 Et sine procedat, quod meditamur, opus,

Sic



Sic vltro cœli se nobis agmina iungent,  
 Sacraque defensos fortiter arma dabunt.  
 Sunt etiam validis armati viribus hostes,  
 Et niger immensum robur auernus habet.  
 Non tamen audebunt contra decernere bello,  
 Castra potens acies hæc vbi fixa tenet.  
 Omnia si tentent, tentabunt omnia frusta,  
 Et furor effectu disiente cadet.  
 Imo suas potius mutet res condita vires,  
 Quam pius in fati iura necemque ruat.  
 Fontibus e sacris veri documenta petuntur,  
 Vfus & euentum quotidianus habet.  
 Posteritas hebrei pharias vbi linqueret oras,  
 Vellet & ad patrios iam remeare lares:  
 Protinus instruxit fulgentes ære cateruas.  
 Rex tumidis nili qui dominatur aquis.  
 Scilicet vt sumtis fugientem perderet armis,  
 Cogeret aut tristi reddere colla iugo.  
 Omnis ad æthereas ibat conatus in auras,  
 Pro populo stabat nam DEVS ipse suo.  
 Per maris & terræ tractus ducebat euntem,  
 Mater vt infantem ducere fida solet.  
 Luce cauam liquido statuebat in æthere nubem,  
 Clara ministrantem lumina nocte facem:  
 Aligerum numerus circum latus omne tenebat,  
 Nec dabat ad vires insidiasque locum,  
 Cinxit Eliæum syriorum copia bello,  
 Signaque terribiles exacuere minas.  
 Vatis ad innocui spectabant omnia mortem,  
 Contremuit pauido non tamen ille metu.

Hosce sed illusit fremitus, elusit & iras,  
 In solo statueens robur opemque DEO.  
 Aligeras etenim turmas, currusque micantes  
 Se circum longo viderat orbe trahi.  
 Vulcanus sodomam flammis cum perderet urbem,  
 Fumantique daret fulphura nube polus.  
 Diruta præcipitem traxerunt omnia lapsum,  
 Ardor & incensos hausit vbique lares.  
 In campus segetes, iucundis arbor in hortis,  
 Aruit in summis herba perusta iugis.  
 Horrida vastrarunt imas incendia valles  
 Lilia cum teneris interiere rosis.  
 Hic homines, illic edebant bruta querelas  
 Perque reperta vias funera, perque domos.  
 Solus at Aramides cæli ducente ministro,  
 Fatali tutum mouit ab igne pedem.  
 Te neque carminibus vates memorande tacebo,  
 Vertere fors patriam quem pede iussit humum.  
 Hostis & ignotas captiuum traxit in oras,  
 Flos ætatis adhuc cum iuuensis eras.  
 Hic licet infontis peragebas munia vitæ,  
 Mittit in immanem te tamen ira lacum.  
 Inter & horrendos fremitus, rabiemque leonum,  
 Cogeris indignas sustinuisse vices.  
 At quia custodem cælo virtute potentem,  
 Naetus eras, cladem vis tibi nulla tulit.  
 Ille feros motus rabiemque coërcuit omnem,  
 Et tua lethæis vela reduxit aquis.  
 Inclita medorum Tobias rura petebat.  
 Ingressus longas patre iubente vias.

Ora

Ora virescentis nondum lanugo tegebat

Quemque leuis premeret casus, ephebus erat,  
Ne tamen exitii cladem pateretur, eunti

Se comitem Raphaël sponte ducemque dedit.  
Ille procul saluum patriis abduxit ab oris,

Incolumen patriis reddidit ille foci.

Iam feror excelsas animo babylonis ad arces,

Et video diros igne micare globos.

Æstuat insolito feraens ardore caminus,

Turbine terribili flamma rotata fuit.

Sedibus ex imis porum pumis fumus in auras,

Vmbra coloratum cingit opaca polum.

Terreor intuitu : Sed vires ira furori

Suggerit, in rabiem pectora regis eunt.

Tres ad supplicium iuuenes ignemque trahuntur,

Voce quibus statuam poscere, crimen erat.

Flamma sed erubuit captis intendere noxam,

Angelicas metuens obstupefacta minas.

Imo perurendi virtutes exuit omnes.

Nec nisi mandato regis iniqua fuit.

Seruatos tandem furno reddebat ab imo,

Ibat & in plausum letitiamque dolor.

Ergo quid est pietas homini ? Tutela : nefandum

Quid scelus ? in summis longa querela malis.

Æqua minus quamvis conspirent fata ruinam,

Qui pius est, votis fata leuare potest.

Carceris obscurum fuerat coniectus in antrum,

Petrus Apostolici lux veneranda chori.

Ferrea captiui necebant vincula palmas ;

Nec dabat assiduum mors nisi certa metum.

Nocte sed adstabat cælestis nuntius aulæ,  
 Et, quid adhuc somno lumina claudis ? ait :  
 Surge, nec vterius longas te differ in horas,  
 Tempus adest, si vis carpere, carpe fugam.  
 Sponte remittebat duras iunctura catenas,  
 Impulit emotas poste ruina fores.  
 Ille necem fugiens, lucisque reductus in auras,  
 Angelicam grata voce sonabat opem.  
 Plura quidem restant, quæ nunc exempla tacebo,  
 Longius e portu ne mihi nauis eat.  
 Estque superuacuum casus memorare priores,  
 Res hodie coram cum videatur agi.  
 Nam quod adhuc viuas, tuta quod pace fruaris,  
 Integra quod res sit, quod tibi salua domus,  
 Quod non sæpe loco sis disturbatus ab alto,  
 Nec rapidæ medio gurgite mersus aquæ,  
 Nec te fortuitus dederit quod casus in ignem,  
 Sana quod illæso corpore membra geras,  
 Quod vigeant leges, & legum vincula poenæ,  
 Vlla nec impietas templa scholasque premat,  
 Quod beet vnanimes felix concordia ciues;  
 Angelici cauſsam muneris illud habet.  
 Perge thalia sacros digitis impellere neruos,  
 Harmonico restant plura canenda fono.  
 Nempe DEI Natum contra gentemque piorum,  
 Quanta ferox orci prælia latro gerat,  
 Quas moueat seelerum fraudes, quas surgat in iras.  
 Et qua se passim cæde minisque ferat.  
 Ille quidem donis olim cælestibus auctus,  
 Lucida fidereæ stella cohortis erat;

Sed

Sed quia ventoso cœpit turgescere fastu,

Atque super CHRISTI Numen abire gradu,  
Sedibus e cœli stygias proiectus in umbras,

Supplicium, soluet nulla quod hora, luit.

Hinc odii flamas memori sub pectore seruat,

Et via nequitæ si datur vlla nocet.

Semper in excubiis sine somno transigit horas.

Et prædæ curam more leonis agit,

Qui terram subigens præludit in vnguis iram;

Dente micat, fremitu concrepat, ore tonat.

Si pugnare tamen manifesto marte negatur,

Ad scelus e latebris raptor & arma venit.

Nec superis parcit, tantum vindicta furorem

Suadet, & in tantas æstuat ira faces.

Ille DEO Natoque DEI conuicia dicit,

Fœdaque lethali fauce venena vomit.

Excitat hæreticos, verbi qui luce relictæ

In tenebras hominum corde necemque trahant.

His neque mens eadem, pars huc pars vertitur illuc,

Quicquid & hic dictis asserit, ille negat.

Inde tot ardescunt lites, quibus obrutus orbis

Nec bene quem fugiat quemque sequatur habet.

Si quis adhuc supereft, veri qui sensa recludit,

Eque salutari dogmata fonte trahit:

Ille tyrannorum rabie vexatus & ira,

Excipit horendas in sua fata manus.

Aut trabe suspensus, rapidos aut missus in ignes;

Sustinet aut mediis funera mersus aquis.

Cogitur aut patriæ dulces mutare penates,

Atque sub ignoto querere sole domum.

Ille pater scelerum cui ius acherontis auari,  
 Huius habet caussam principiumque mali.  
 Illi sunt cædes, illi mendacia curæ,  
 Ille struit laqueos mentibus, ille dolos.  
 Si quem forte videt curis mordacibus angit,  
 Stulte quid in CHRISTVM spem tibi ponis? ait:  
 Te commissa lues cocyti damnat ad vndas,  
 Est tibi clausa poli regia, noster eris.  
 Nec studio parcit vigili, nec deficit ausis,  
 Donec in interitum cor trepidantis agat.  
 Vidimus heu torto stringentem guttura nodo,  
 Quique sibi foderet vidimus ense latus,  
 Soluitur interea Sardoo bestia risu,  
 Nos ita deceptos cum videt esse dolis.  
 Furta colunt sures, lætatur prædo rapinis,  
 Crimen adulterit turpis adulter amat.  
 Incautos superant ferri mucrone latrones.  
 Iratos flammis liuor & ira coquit,  
 Ebribus assiduo perfundit viscera Baccho,  
 Iniuste partas condit auarus opes.  
 Namque satan comites scelerum ceu fune ligatos,  
 Quo sua compellit quemque libido, trahit.  
 Quisquis es, expellas segnes e pectore somnos,  
 Et tibi tartareo semper ab hoste caue,  
 Ne si forte tuis obtendat retia plantis,  
 Turpiter occulto decipiare dolo.  
 Sis licet attentus, sapienter & omnia cures,  
 Tutus ab insidiis vix tamen huius eris.  
 Quidquid damnosum quidquid lethale videtur,  
 Omne DEO quidquid displicet, ille mouet.

Aurea

Aurea tranquillæ soluit commercia pacis,  
 Inque vicem lites dissidiumque creat.  
 Classica turbatum cantat funesta per orbem,  
 Sæua cruentatos cogit in arma duces.  
 Purpurat effuso stagnantes sanguine fossas,  
 Herbida prostratis ossibus arua tegit,  
 Incestat natas conspectus ante parentum  
 Moenia tormentis eruit, igne domos.  
 Nec satis hoc : teneris segetem suffocat in herbis,  
 Feta procellosis iugera mergit aquis.  
 Suscitat horrendos immani turbine ventos,  
 Florentem tristi grandine pulsat humum.  
 Aut etiam rapidas succendit in aëre flamas,  
 Acribus & lætos ignibus vrit agros.  
 Sole laborantes torret ferveribus herbas,  
 Quidquid & in pratis floret, id omne necat,  
 Subtrahit iccirco terris penuria fruges,  
 Et creat annona deficiente famam.  
 Bacchus in apricis turgentes collibus vuas  
 Læsus honoratas denegat hortus opes.  
 Adde quod infestis populetur corpora morbis,  
 Et diram toto spargat in orbe luem.  
 Plurima quæ gelidis immergens funera tumbis,  
 Mœsta facit querulos edere corda sonos.  
 Sed cui contribuit tantas facundia vires,  
 Sat memorare nefas huius vt omne queat?  
 Quippe DEVS tantum nisi vi compesceret hostem,  
 Totius in cumulum verteret orbis opus.  
 Nosque velut paleas ventorum turbine motas,  
 In phlegetontæas mox agitaret aquas,

Sed iacet immani tenebrarum compede vincitus,  
 Nec, quam fata finunt, longius ire potest.  
 Hoc agnosco libens, hoc mente recondo sub ima,  
 Atque DEI fama nomen in astra fero.  
 Qui solus regnum, robur qui solus in armis,  
 Qui solus vires, omnia solus habet.  
 Iam satis indulsum plectro, fidibusque canoris,  
 Quod satis est igitur, sit tibi musa satis.

*In die S. Michaelis Archangeli, Matth. 18.*

**I**N paruulis sinceritas  
 Et mentis est submissio.  
 Non felle liuent inuido,  
 Nec ceteris se præferunt:  
 Illis nihil iucundius,  
 Quam copulari mutuo  
 Dilectionis vinculo.

Horum sequi vestigia  
 Verbi ministros conuenit,  
 Quos inter æmulatio  
 Si regnat, aut superbia  
 Ventosa mentes subleuat,  
 Grauissimis ecclesia  
 Periculis exponitur.

Sed cur leuas præcordia,  
 In orbe Christus quem sua  
 Obire iussit munia?  
 Non Numen es, sed Numinis  
 Inutilis vicarius.

Donis

Donis licet superbias  
 Et ceteris te præferas:  
 Verbum tamen quod efficax  
 In corde sit mortalium,  
 Non est tuæ solertiæ,  
 Sed vis supremi Numinis.  
 Nil ergo refert, vel puer  
 Verbum DEI si nunciet:  
 Christi piis in nomine  
 Turbis modo illud nunciet.

Caueto ne fors scandalis  
 Occasionem præbeas:  
Quisquis tenella pectora  
 Factis malis, aut turpibus  
 Offenderit sermonibus,  
 Hunc pœna grandis obruet,  
 Nam Spiritus, iussu DEI.  
Qui parvulos custodiunt,  
 Ad vindicem, qui lucido  
 Regnat polo, rem deferunt.  
 Is bile feruens horrida  
 Flammis cremat perennibus,  
Quotquot dedere pessimis  
 Occasionem scandalis.

*Elegia de sanctorum Angelorum custodia.*

**H**Æc mihi ne leuibus lux turpiter exeat ausis,  
 Sint procul a cœptis fata sinistra meis.

Sacra

Sacra canam, sacris respondent sacra diebus,  
 Estque nefas stolidis perdere festa iocis.  
 Sed ne præsenti desint in carmine vires,  
 Tu mihi legitimos suggere CHRISTE modos.  
 Te sine propositos nequeo finire labores,  
 Vsus ni fuero te duce, nullus ero.  
**Attenta quoties** mecum ratione reuoluo,  
 Quanta sit æterni vis bonitasqne DEI.  
 Quam colat, & patrio quam nos defendat amore,  
 Qui tamen e vitiis sordida massa sumus:  
 Miror, & ex imo ducens suspiria corde,  
 Dico, potest nulla res ea mente capi.  
 Nil hic ingenium, nil hic sapientia mundi,  
 Nil vox, e ferro sit licet ipsa, valet.  
 Quis tamen, arcano si discutit omnia sensu,  
 Illa potest tacitis præteriisse labris?  
 Nos DEVS in primis materna dicit ab aluo,  
 Et iubet e tenebris ire, videre diem.  
 Largitur vitam, vitaque quod exigit vsus,  
 Et clausas in nos nescit habere manus.  
 Noster & iratas ne vires exferat hostis,  
 Excubias, veluti pro grege pastor, agit.  
 Insuper angelico cunctos custode tuetur,  
 Quid quæsto tali munere maius erit?  
 O quicunque tibi custodem nactus es istum,  
 Iudicio felix crederis esse meo.  
 Te mala nulla prement, omni tu principe maior,  
 Tu duce robusto fortior esse potes.  
 Possideant reges munitas fortiter arces,  
 Magnificas aliis copia fundat opes.

Sint

Sint illis arcus, & acutæ cuspidis hastæ,  
 Omnibus his longe te tamen ante fero.  
 Ne metuas igitur, nullos patiere dolores,  
 Sors licet est rebus sæpe sinistra tuis.  
 Nam quem summa tuæ penes est custodia vitæ,  
 Otia securæ nulla quietis agit.  
 Sed cum nox cæcis terras circumdedit umbris  
 Astat, & ante toros excubat ille tuos.  
 Rursus ubi nitidi lux est reuocata diei,  
 Dicit, & in tuta te iubet ire via.  
 Qui tibi perniciem, magnique pericula damni,  
 Afferat interitum qui tibi, nullus erit.  
 Concipiat satanas immites horridus iras,  
 Infernus telis te petat ipse suis:  
 Tu tamen oppositos vinces feliciter hostes,  
 Nec poterunt iætus sustinuisse tuos.  
 Hæc igitur reputa diuini signa fauoris,  
 Et refer: est summi munus id omne DEI.  
 Non tibi sunt vires stygium superare leonem,  
 Eius & infracto spernere corde minas.  
 Sed qui de cæli datus est tibi vertice custos,  
 Aduerso martem frangere marte potest.  
 Ille potest solus totas delere cohortes,  
 Robur & in numero milite maius habet.  
 Nec minus, assidue sacras prostratus ad aras,  
 Æternum grata concine voce DEVVM.  
 Adde preces, vitæ donec conceditur usus,  
 Ne casset custos Angelus esse tuus.  
 Qui non sunt grati, qui non prece fidera pulsant,  
 Participes hujus muneric esse nego.

Ite,

Ite, quibus sanctæ nihil est in pectore mentis,  
 Ite procul, summo gens odiosa DEO.  
 Hic quæ speratis, sperabitis omnia frustra,  
 Nec vobis custos angelus ullus erit.  
 Nam quæ perueniunt de summo munera cælo,  
 Sunt ignota malis, cognita sola piis.  
 Qui sapit, impuris non miscet mella venenis,  
 Spargitur in medias gemma nec vlla fues.  
 Quin potius vestram quæ sit cognoscite vitam,  
 Distet ab angelicis quam procul illa choris.  
 Hos DEVS immenso sapiens cumulauit honore,  
 Hos regno proceres fecit inesse suo.  
 Ignea vis illis, vigor igneus, ignea mens est,  
 Lumen & astrorum lumine maius habent.  
 Si species animum ; virtutes dixeris omnes,  
 Hic veluti sedes composuisse suas.  
 Iusta colunt, & vera probant, mendacia vitant,  
 Res quibus in mundo turpior esse nequit.  
 Non venus illorum vires, non otia frangunt,  
 Nec quæ iuncta sibi crimina luxus habet.  
 Ipse suos etenim puros iubet esse ministros,  
 Qui purus spurcos nescit amare DEVS.  
 Impetus est illis promptus, facilisque voluntas,  
 Ad Domini nutus ire redire sui.  
 Hunc sine fine canunt, laudant, venerantur, adorant,  
 Hymnis, concentu, laudibus, ore, prece,  
 Non opus hic stimulis, nec acerbæ gutture vocis,  
 Sponte quod est iussi muneris, illud agunt.  
 Nil magis est gratum, nil est optatius illis,  
 Officium iussa quam ratione frui.

Huius



Huius enim quis non regis mandata timeret?

Quis cuperet tardos hic habuisse pedes?

Si se fortassis dignas properaret in iras,

Ætherias posset quis tolerare minas?

O ditata nimis cælestibus agmina donis,

Agmina supremo semper amica DEO!

Quis potuit vestras vnquam describere laudes?

Has bene qui potuit nemo referre fuit.

Ergo licet videar vanos tractare labores,

Nec possit coeptis pondus inesse meis:

Ista tamen quoties verso lux orbe redibit,

Vos humili donec vixero mente colam.

Etsi quod cupio non effecisse licebit,

Suscipiet partes mens tamen æqua suas:

Nam quod vita mihi variis oppressa periclis

Mansit, & hoc etiam tempore tuta manet,

Quod non sæpe loco sim deturbatus ab alto,

Aut aliis fuerit sors mihi dura modis:

Vos ego venturos fateor vidisse dolores,

Et mihi præsentes supposuisse manus.

An vobis igitur laudes mea lingua negaret?

Non ea pro tali munere grata foret?

Vel prius ipsa suas amittent flumina guttas,

Quique fuit calidus, frigidus ignis erit,

Quam collata mihi toties benefacta peribunt,

Aut procul ex animo sintabitura meo.

*Gratus ero, donec vitam mihi fata relinquent,*

*Gratus & in medio funere mortis ero.*

Non amor hic nouus est, annis durauit ab ipsis,

Parvus adhuc tenero cum puer ore forem.

Tunc

Tunc vbi legitima procul a ratione remota,

Lusit adhuc vitiis prima iuuenta suis.

Hoc vbi nonnunquam mecum considero, miror,

Pro pueris etiam quod DEVS arma gerat.

Qui vix præsentes egressi lucis in auras,

Ad mala plus æquo sedulitatis habent.

Hos amat, hos curat, latet hos suscipit vlnis,

His aperit regni claustra beata sui.

Et ne quid viridi noxae patientur in ævo,

Angelica nunquam destituuntur ope.

Hæc quam sit multis ætas vicina periclis,

Ipse sibi testis quilibet esse potest.

Et si perpendit sapiens, miretur oportet,

Quod queat a tantis tuta manere malis.

Quod non oppositas præceps labatur in vndas,

Aut se det rapidis ignibus vsta neci.

In loca quin pueros persæpe venire videmus,

Quæ fuerant tuto non adeunda gradu.

Attamen illæso deuitant corpore damnum,

Hos tegit inuicti dum manus ipsa DEI.

Res patet exemplis, verum non ficta canemus,

Sed quæ sunt vera cognita vera fide.

Est locus obliquis MOLDÆ conterminus vndis,

Vrbs vbi de cygni nomine dicta iacet:

Rusticus herbosas exercens vomere terras,

Dicitur exiguos hic habuisse lares.

Non ipsi soboles, nisi corpore parvus & annis

Natus erat, patris gaudia, matris amor.

I dixit mater, nostroque require iuuencos,

In siluis istis qui, nisi fallor, erunt.

Et

Et vagus occiduas vbi sol intrauerit vndas,  
 Esto memor saturos cogere, nate, domum.  
 Paret, & in filuas, genitrix quas dixerat, intrat,  
 Non ibi sed dictos repperit ille boues.  
 Ergo per ambages mediis in vallibus errat,  
 Errat ut in dubiis agna relicta locis.  
 Tristibus interea nebulis miscetur olympus,  
 Et crebro boreas murmure pulsat humum.  
 Irruit & præceps mista cum grandine nimbus,  
 Et non speratas exhibet aura niues.  
 Implentur valles, montesque teguntur, & omnis  
 Sed niue delapsum ramus habebat otus.  
 Ipsaque paulatim phœbi rota pronior ibat,  
 Et nox hesperias cæca reliquit aquas.  
 Pertimuit genitrix ( quis eam timuisse negabit? )  
 Et meus, exclamans, filius, inquit, abest.  
 Me miseram, perdent hac ipsum nocte leones,  
 Aut erit insanis esca cruenta lupis,  
 Aut aidam poterit si vim vitare ferarum,  
 Non tamen a fæuo frigore tutus erit.  
 Sic sublata iacent per me mea gaudia, per me  
 Sic grauis est capiti poena reperta meo.  
 Ex quo sperabam multos solamen in annos,  
 Hunc mihi præceptum sustulit vna dies.  
 O quicunque lupi filuis habitatis in illis,  
 Parcite filioli frangere membra mei.  
 In me crudiuoros potius conuertite dentes,  
 Non est admissi criminis ille reus.  
 Dixit, & in filuas ingressa fuisset easdem,  
 Suasisset tardas nox nisi densa moras.

Interea quantas effuderit ore querelas,  
     Arbitror indicio non opus esse meo.  
 Tandem lux ipsi tarde procedere visa,  
     Optatum nitido rettullit axe diem.  
 Nec mora, progreditur fido comitata marito,  
     Et nemus & vacuos deuia lustrat agros,  
 Bis iam conspicuum radiis sol fecerat orbem,  
     Et toties seris merserat ora vadis:  
 Dum studio latebras filuæ scrutatur inani,  
     Fundit & ingratis irrita verba notis.  
 Tertius ecce dies roseos patefecerat ortus,  
     Qui matri natum reddidit, ille fuit.  
 Nam sic per filuas, & in hospita tecta ferarum  
     Dum ruit, & duram grandine calcat humum:  
 Forte sub vmbroso puerum requiescere ramo  
     Vidit, & optatis se recreare iocis.  
 Nam neq; grando locum, neq; nix penetrarat in illum,  
     Pulchra sed hic vario flore virebat humus.  
 Protinus accurrens, mea spes, mea gaudia, dixit,  
     O iucunde mihi siccine nate vales?  
 Et simul vt posuit puerili brachia collo,  
     Oscula mille dedit, reddit a mille tulit.  
 Præterea quali foret vsus sorte, requirit,  
     Sors fatis æqua mihi, rettulit ille, fuit.  
 Nam ne sæua grauem mihi ferrent frigora noxam,  
     Aura fuit membris officiosa meis.  
 Venit & oblongo senior vestitus amictu,  
     Ille mihi potum præbuit, ille cibos.  
 Qui sapis, e cælo non hunc venisse negabis,  
     Si vis scire, senex angelus ille fuit.

Nam

Nam tutus tali nisi defensore fuisset,  
 Defendi humana non potuisset ope.  
**Vt DEVS** infantes, sic post defendit adultos,  
 Sic nequit hos factos deseruisse senes.  
 Et quoties omnis spes est ablata salutis,  
 Afflictis gratas exhibet ille manus.  
 Ergo suis omni dat tempore iussa ministris,  
 Hoc vt dexterius perficiatur opus.  
 Et præbet vires illis ad vtrunque paratas,  
 Siue iuuare bonos, perdere siue malos.  
 Testis erit Lothus, cui dum comies angelus ibat,  
 Tutus ab immisso sulphuris imbre fuit.  
 Verum cum gemitu tristes abiere sub umbras,  
 In quibus æternæ nil pietatis erat.  
 Canduit assiduo babylonicus igne caminus,  
 Latus famulis funera, CHRISTE, tuis.  
 Te prohibente tamen, quæ perdit cætera, vires  
 Non habuit, paucos perdere flamma viros.  
 Perdidit at contra repetitis viribus omnes,  
 Spes quibus in vero non erat vlla DEO.  
 Obiicitur Daniel laceranda leonibus esca,  
 Perpessis longam rege iubente famem:  
 Sed posuere iubas, rictus posuere minaces,  
 Angelus his postquam visus adesse fuit.  
 Euasit captus, sed poena cadebat in illos.  
 Præcipuum turbæ qui caput huius erant.  
 Quid memorem reliquos duro qui carcere clausi,  
 Extremum fati sustinuere diem?  
 Attamen angelico ducti præeunte ministro  
 Sæpe fuga vita consuluere suæ.

Plura quidem restant quæ nunc exempla tacebo,  
 Crescat in immensum ne mihi carmen opus.  
 Non opus est etiam longis ambagibus vti,  
 Res hodie coram cum videatur agi.  
 Quam fragili præsens est vita simillima vitro,  
 Exigua lædi quam ratione potest?  
 Quam gerit abiecto nullas in corpore vires,  
 Est flos, vmbra, sonus, fraus, sopor, omnis homo?  
 Non requies illi, non pax, nil denique restat,  
 Sors quod non telis læserit atra suis.  
 Hostes quid referam varios? quid tela? quid arma?  
 Oppugnant nostrum quæ sine fine caput?  
 Omirum, cunctis quod non moriamur in horis,  
 Quod lux postremam differat vna necem.  
 Princeps iste ferox, stygias qui possidet vmbras,  
 Est caput, est nostri maxima causa mali.  
 Concepit rabidum contra nos ille furorem,  
 Vnquam deleri nec furor ille potest.  
 Insidias igitur nobis, & retia tendit,  
 Si neque marте potest, arte nocere cupit.  
 Vtque lupus, tacito scrutatur ouilia gressu,  
 Et tumido varias excitat ore minas:  
 Sic nos ille graui commotus circuit ira,  
 Humana cupiens cæde leuare famem.  
 Innumeris totum conturbat litibus orbem,  
 Diraque vicinos cogit in arma duces.  
 Hinc igitur cædes, periuria, stupra, rapinæ,  
 Hinc premit assiduus tempora nostra dolor.  
 Miscentur fuso currentes sanguine riui,  
 Lataque prostratis ossibus albet humus.

Vastantur

Vastantur celebres violentis ignibus vrbes,  
 Improbus & nostras diripit hostis opes.  
 Quid loquar assiduos in relligione tumultus,  
 Quos ciet in cunctis impius ille locis?  
 Excæcat tristi dubias caligine mentes,  
 Et pro non factis discere facta iubet.  
 Si quis adhuc supereft, verum qui dogma fatetur,  
 Hei mihi quam variis hunc premit ille dolis.  
 Et tandem cupidus metam festinat ad illam,  
 Ut cunctos toto perdat in orbe pios.  
 Corrumpt tristi lætos putredine campos,  
 Omnibus vnde lues rebus amara venit.  
 Speratis steriles viduantur frugibus agri,  
 Et rosa qua debet crescere, lappa viret.  
 Languida continua exercet corpora morbis,  
 Atque nouis curis, adiicit ille nouas.  
 Sed cui tam magnas retulit facundia vires,  
 Qui queat hos humili voce referre dolos?  
 Præsenti non est, nec erit tam cautus in orbe,  
 Quem non infidiis occupet ille suis.  
 Cui non est pietas Iesxi cognita vatis?  
 Captus adulterio non minus ille fuit.  
 Rex vicit Salomon reges virtutibus omnes,  
 Diues fortuna, ditior ingenio:  
 Attamen impuro mulierum fractus amore  
 Quos coleret, falsos coepit amare DEOS.  
 Sæpe quis exactæ reputans deliria vitæ,  
 Hoc duce, non mitem cogitat esse DEVVM.  
 Aut igitur torto sibi claudit guttura nodo,  
 In mediis vitam vel sibi finit aquis.

Bellua postremo tollit turpisima risum,  
 Nos his deceptos cum videt esse modis.  
 Sed qui cuncta videt, nostros videt ille dolores,  
 Ac humiles facili fuscipit aure preces.  
 Reprimit & valida stygium virtute tyrannum,  
 Ne damnum nobis quod cupit, omne ferat.  
 Quod si non fieret, tantum quis vinceret hostem?  
 Quis queat inferni sustinuisse minas?  
 Hei mihi nemo suis crescens adolesceret annis,  
 Longaeuos posset nemo videre dies.  
 Securus nemo momento viueret vno,  
 Sed daret assiduos quaelibet hora metus.  
 Si quis turbatis fracta trabe naret in vndis,  
 Nil profecturas funderet ille preces.  
 Terra suo nullas proferret tempore fruges,  
 Non aleret campus gramina, prata rosas.  
 Deficeret vacuus maturis bacchus in vuis,  
 Villa nec optatas arbor haberet opes.  
 Infantes grauido matris morerentur in aluo,  
 Irrita decepta spes genetrice foret.  
 Tam sitit humanum satanas gustare cruentem  
 Tam tibi qui fidunt, CHRISTE, nocere cupit.  
 Sed tibi sint laudes, sit gloria, sitque triumphus,  
 Fortia pro populo quod geris arma tuo.  
 Quid nos in medio validis discriminis castris  
 Cingis, & inuictum robur habere facis.  
 Quid tamen ah tanto miseros dignaris amore?  
 Cur nostri nunquam desinis esse memor?  
 Angelicis digni num possimus esse ministris?  
 Nostra tibi nunquid vita placere potest?

O Pater,

O Pater, ex meritis si præmia reddere velles,  
 Mergeret in stygiis nos tua dextra vadis.  
 Turba sumus nimiis adeo corrupta venenis  
 Vna nec e nostro sanguine gutta bona est.  
 Tu tamen o istum nunquam depone fauorem,  
 Sis maneasque memor, quod tua turba sumus.  
 Quod non argento, fuso sed CHRISTE crux,  
 Quodque tua nobis sit data morte salus.  
 Nos igitur pretio gemmis meliore redemtos,  
 Perderet inferni vis truculenta lupi?  
 Ille procul stygias tristis descendat in umbras  
 Tu nos fac regni scepta videre tui.  
 Illic est requies, illic est patria nobis,  
 Te duce quæ cunctis est adaperta pliis.  
 Hic tibi perpetuae soluemus munera laudis  
 Nullus & impedit gaudia nostra dolor,

*Sabbatum, Dominica 17. p. Trinitatis;*  
*Luce 14.*

**F**ESTA dies requiem membris pacemque ministrat,  
 Est tamen haud rebus quæ tribuenda malis.  
 Haud vano placeat nugas extendere lusu,  
 Turpis ad illecebras te neque luxus agat.  
 In coetum venias, verbi des vocibus aures,  
 Errores vitæ corrige, funde preces.  
 Si tamen auxilium ferri sibi proximus oret,  
 Turpe putas promtas non habuisse manus.  
 Sabbata non violat, quisquis releuare iacentem,  
 Estque laboranti ferre paratus opem.

I. 4

Luce

Luce sacra CHRISTVS morbi languore leuabat,  
Cuius erat multa turgidus alius aqua.

Quod si perniciem fas est auertere bruti,  
Est homini potius consuluisse decus.

Hoc imiteris opus : Christum quicunque fateris,  
Prætextu recti nec moueare caue.

*Pbarisæus tentans Christum, Dom. 18. p. Trin.  
Matth. 22.*

**C**onatur CHRISTVM legis tentare peritus,  
Plus aliis sapiens qui sibi visus erat.

Nam quod præcipuo mandatum pondere constet,  
Et DEVS in primis quæ probet acta, rogat?

Sed CHRISTVS fraudum subolens sibi retia tendi,  
Summa DEO pietas est tribuenda, refert.

Viribus hunc totis, hunc toto dilige corde,  
Hoc prius & summum legis habetur opus.

Quod sequitur, pretio non inferiore putatur:  
Officiis fratrem, te velut ipse, colas

His in mandatis stat lex fundata duobus

Huc labor in vatum dogmate totus abit.

Hæc vbi spem contra doctor responsa tulisset,  
Turpiter auerso cœpit abire gradu.

Nec, quia perfuso conceperat ore ruborem,

Post ausus CHRISTVM plura rogare fuit.

Hoc erat infami mentem sustollere flatu,

I nunc & fraudum retia pone DEO.

*Origo morborum, Dom. 19. p. Trin. Matth. 9.*

**R**iuus inexhausto veluti de fonte resultat,  
Sic e peccati gurgite, morbus abit.

Quare

Quare diffici si fors languore teneris,  
 Semina te priscae labis habere scias.  
 Cogeris iccirco tristi decumbere lecto,  
 Et miseras fati sustinuisse vices.  
 Nam DEVS agnosci tua vult peccata, dolores  
 Corporis immerito ne videare pati.  
 Non tamen arma DEO moueas, sed funde querelas  
 Teque malis dignum talibus esse puta.  
 Et quamuis lethi prorsus te mergeret vmbbris,  
 Illius iniustas non refer esse manus.  
 Sed CHRISTI potius speres bonitate salutem,  
 Pellere nam morbos fortiter ille potest.  
 Denique propositum melioris concipe vitæ,  
 Nec placeat scelerum, ceu prius, ire vias.  
 Crede mihi, saluum cæli te gratia reddet,  
 Quodque prius planctus, post tibi plausus erit:  
 Aspera si forsan prorsus non fata repellent,  
 Aspera fata tamen post leuiora dabit.

*Nuptiae filii regii, Domin. 20. p. Trinit.*  
*Matth. 22.*

**I**lle DEVS, Rex ille, poli qui temperat axem,  
 Nato parat tædas suo.  
 Sponsa datur dilecta nimis, gens nempe piorum,  
 Sponsi redempta sanguine.  
 Res patefit cunctis, verum quotcunque vocantur,  
 Oblata spernunt gaudia.  
 Imo nonnulli prosternunt cæde ministros,  
 Quos Rex benignus miserat,

Ille repentinus igitur conuersus in iras,  
 Viros peremit improbos.  
 Et celeres horum supponens vrbibns ignes,  
 Domos cremauit funditus.  
 Sic DEVS exuret flammis, quicunque recusant,  
 Audire verbi nuncios.  
 Quique magis gaudent villa, tenuique lucello,  
 Quam gaudiis cælestibus.

*Vestis Nuptialis.*

**V**T placeas regi, cuius te præco vocauit  
 Ad læta tædæ gaudia,  
 Tegmine deposito veteri, decoreris amictu,  
 Qui nuptiis respondeat.  
 Nam quia sancta petis lautæ conuiua mensæ,  
 Adire sanctum conuenit.  
 Indue iustitiam, CHRISTI quæ parta cruore,  
 Qua veste nil præstantius.  
 Hac tege, quos gestas polluto in pectore næuos,  
 Fidemque firmam concipe:  
 Quod Deus ob Nati meritum, mortemque cruentam,  
 Donet tibi se proprium  
 Et licet indignus merito videare salutis,  
 Nolit tamen te perditum.  
 Ornatum cultu nisi te Rex viderit isto,  
 Verbis tonabit asperis,  
 Et te constrictum pedibus manibusque iubebit,  
 Orci sub umbrâs proiici,  
 Fletus ubi planetusque malis tolerandus & horror,  
 Dirusque stridor dentium.

*Sanatur*

*Sanatur filius reguli, Domin. 21. p. Trinit.*

*Ioann. 4.*

**C**uius in extremo natus languore iacebat  
Regulus ad CHRISTI configiebat opem.  
Sed morbi vires tolli non posse putabat,  
Corpore ni præsens CHRISTE benigne fores.  
**O** igitur, dixit, cauſas præcide morandi,  
Natus & ante meus quam moriatur, ades.  
Cum tamen audiret, natum iam febre solutum,  
Emicuit verbo protinus aucta fides,  
Et statuit, quamuis distaret corpore, CHRISTVM  
Voce tamen quodus posse leuare malum.  
Parua fides crescit, verbo si nixa recumbit,  
A verbo fuerit si reuoluta, cadit.  
Non igitur signis tibi mens intenta feratur,  
Cuncta quod in verbo sint patefacta putas.  
Nec CHRISTI cludas obducto limite dextram  
Regnat, & est præsens omnibus illa locis,  
Teque potest duri laqueis exsoluere fati,  
Te licet, id fiat qua ratione, latet.  
Hæc credas, domuique tuae credenda relinquas,  
Nil ita prosperius teque tuaque domo.

*Mutua condonatio, Domin. 22. p. Trinit.*  
*Mattb. 18.*

**M**ulta DEO debes, sed non tibi tanta facultas,  
Æs qui commissum restituisse queas.  
Si vellet strictis igitur rationibus vti,  
Te posset stygiis illaqueare vadis.

*Motus*

Motus at affectu patrio ius omne remittit,  
 Debita nec propter te facit esse reum.  
**O** sacrata fides, o blandi gratia cordis,  
 Suauius hac dici quid bonitate potest?  
 Sed tibi, si nescis, statuas exempla parari,  
 In miseros animo tu quoque mitis eris.  
**E**t quamuis iustum moueat tibi caussa furorem,  
 Vim tamen irarum te cohibere decet.  
**C**arceris obscuri ne fors mittaris in antrum  
 Durus in immites ius ubi tortor habet.  
**C**rede mihi nunquam gressum reuocabis in auras  
 Te semel his statuet si tua culpa locis.

*Vtrique dandum, Deo & Cæsari, Dominica  
 23. p. Trinit. Matth. 22.*

**E**T DEVS & Cæsar regni moderantur habenas,  
 Sed DEVS imperium Cæsare maius habet.  
 Cæsar enim posito fines sibi limite claudit,  
 Sed claudi nescit limite dextra DEI.  
**I**llius in cunctas sceptrum se porrigit oras,  
 Ille poli regnat sedibus, ille soli.  
**A**mbo volunt metui, rerum si diffona mandant,  
 In pretio potius sint tibi iussa DEI.  
**N**am quamuis Cæsar tibi corporis eripit usum,  
 Tollere non animam vi tamen ille potest.  
**S**ed DEVS ob facinus celerem si traxerit iram,  
 Ius animam pariter quo tibi perdat habet.  
**F**ac tribuas vtrique suum, vult Cæsar honorem,  
 Et censem, ferri vult sibi vota DEVS.

*Ex-*

*Excitatur filia Iairi mortua, Dominica  
24. p. Trinit. Matth. 9.*

**C**Hristus vbi gressum tulerat primatis in  
ædes

Qui nata mortis vi spoliatus erat.  
Cedite, dicebat turbis, haud morte puella  
Succubuit, molli victa sopore iacet.  
Illico coeperunt omnes extollere risum,  
Et CHRISTI falsis ludere verba sonis.  
Eiectis vero turbis, strepitique remoto,  
Extinctam iussit morte leuare caput.  
Et docuit facto, qualem sit missus ad usum,  
Scilicet ut stygii tolleret hostis opus,  
Verteret & nostras in dormitoria tumbas,  
Et faceret somni munus habere necem.  
Hæc quoties audit ratio, mouet improba risum,  
Atque sibi dici somnia vana putat.  
A letho somnus longo discrimine distat,  
Non redit, e viuis qui semel iuit, ait.  
Huius ab obsequio nimium qui pendet, olympi  
Eiectus stabit sedibus ante fores.  
Nec, cum postremus vitæ iam terminus instat,  
Spe faltem minima se releuare potest.  
**O** DEVS in nobis fidei succende calorem,  
Et viuas nostris mentibus adde faces.  
Fac normam verbi ratio conuicta sequatur,  
Nam sine te ratio nil rationis habet.  
Magna tibi vis est, natura reclamet & orcus,  
Tu tamen in vitam nos reuocare potes.

*Signa*

*Signa extremi iudicij, Domin. 25. p. Trinit.  
Matth. 24.*

**S**igna dabant olim pœnæ documenta futuræ,  
Corrueret solymæ quam prius vrbis honos.  
Sic propiore dies quia se fert ultima gressu,  
Terribiles edunt plurima signa notas.  
Inprimis surgunt cunctis in finibus orbis,  
Qui sua pro CHRISTI voce reperta sonant.  
Ex operum meritis cælorum gaudia spondent,  
Nulla fides CHRISTO, nullus habetur honos.  
Pars vocat in dubium sacræ mysteria cœnæ,  
Pars hominem Christum, pars negat esse DEVM.  
Imo tot errorum passim contagia serpunt,  
Pæne DEO ducat gens vt amica luen.  
Pol nisi cura moram diuina coérceat æui,  
Celsa poli nemo ferret in astra pedem.  
Sed ne forte pias tentet fraus impia mentes,  
Ire DEVS spacio vult breuiore dies.  
Quisquis es, ignauos oculis nunc excute somnos,  
Cumque tremore tibi quære salutis opes.  
Nec statuas cuiuis voci confidere tutum,  
Vnica sit fidei vox tibi norma DEI.  
Et veluti mos est aquilis, inquirere prædam,  
Tu tibi sic CHRISTVM quære, beatus eris.

*Extremum iudicium, Domin. 26. p. Trinit.  
Matth. 25.*

**C**HISTVS vbi index mundo se reddet, & omnes  
Adducet superum proceres cælique cohortes:  
Tunc

Tunc folio residens mediis in nubibus omnes  
 Se coram statuet populos, quotcunque per orbis  
 Amplexum, variis degerunt finibus æuum.  
 Mox duo collectum dissoluet in agmina cœtum,  
 Et iustos dextra statuet læuaque malignos,  
 Lanigeras vt oues pastor discernit ab hircis.  
 Eleatos tandem cælos intrare iubebit,  
 Damnatos orci diros propellet in ignes.

Quisquis in his terris iejuno porrigit escam,  
 Veste tegit nudum, sitientem potat, in ædes  
 Suscipit eiectum patria, discriminè morbi.  
 Visitat oppressum: hæc Christo omnia præsttit ipsi.  
 Cum iustis igitur limen continget olympi,  
 Atque sui capiet meriti cum fœnore fructum.  
 Sed cui stant duræ circum præcordia cautes,  
 Tunc vbi fors miserum duris sub molibus yrget,  
 Nec leuat auxiliis, hic Christum negligit ipsum.  
 Quare cum prauis, erebi proiectus in umbras  
 Perpetuas edet miseranda voce querelas.

*Testimonium resurrectionis mortuorum,*  
*Ioann. 8.*

**T**empus erit, quod nec longe distare putatur,  
 CHRISTVS ab ætheria quo dabit arcessenos,  
 Pulueris eque situ vitæ retrouocabit in auras,  
 Iniecit rapidas mors quibus ante manus.  
 Prodibunt omnes sane, lucemque videbunt,  
 Omnibus euentus non tamen unus erit.  
 Nam quibus in terris ratio fuit integra vitæ,  
 Cælorum largas experientur opes.

Quos

Quos vero scelerum iuuit se mergere cœno  
Obruert infensi iudicis ira DEI.

*Aliud ex 19. Cap. Hiobi.*

**V**Na mihi, sed vera mihi notissima res est  
Quæ non ex animo debet abire meo.  
Nempe quod inferni qui me de fauce redemit  
Viuat, & æternæ tempora lucis agat.  
Ille nigris olim terræ me protrahet vmbbris,  
Totius in cineres cum ruet orbis opus.  
Tunc mihi consumti referentur corporis artus  
Et mea complebit viuidus ossa calor,  
Pristina tunc animus cum sensu membra reuiser  
Inque mea sumnum carne videbo DEVM.  
Qui me stelliferi deducet in atria cæli,  
Pacis vbi lætæ gaudia semper erunt.  
Mollia tunc soluam promtas in carmina voces,  
Lætitiam tollet cura nec vlla meam.

*Pro serenitate precatio.*

**O**Potens rerum DEVS, o creator  
Omnium, cæli Pater atque princeps,  
Ad preces nostras oculos & aures,  
Obsecro vertas.  
Ecce tempestas furibunda nostris  
Sæuit in campis, aquilo boatu  
Horrido mugit, pluuiia frequenti  
Rorat olympus.  
Vnda per cultos spaciatur agros,  
Et procellosis cumulata nimbis  
Enecat

Enecat fruges, prohibetque fundo  
Surgere messem.

Frigus accedit rigidum, resultat  
Per vias grando, micat igne cælum,  
Perstrepunt telis agitata diro

Fulmina motu.

Sis tuo quare populo benignus,  
Qui tuam plorans faciem requirit,  
Et procul nostri Pater aline campi,  
Subtrahe pestes.

Definant nubes iterare nimbos,  
Arua iam, quantum satis est, biberunt,  
Et ferus notum Boreas recedat

Verfus in antrum.

Auferat grando violenta stragem,  
Quæ nouas passim segetes flagellat,  
Fac quibus terres iuga summa, ponant  
Fulmina vires.

Ecce cum fletu miseri fatemur,  
Nos tuos crebro violasse vultus,  
Iusta delictis igitur grauatos  
Pœna fatigat.

Sed pater sæuum cohibe furorem,  
Lenis & nostræ miserere culpæ,  
Et nigris dextra grauidas procellis,  
Distrahe nubes.

K

Fac

Fac polo phœbus niteat sereno,  
Qui suo terræ gremium calore,  
Imbuat, reddant vt operta plenam  
Semina messem,

Cogita quod gens tibi sacra simus,  
Quam foues, cæli cui regna spondes,  
Quam tuus tristi moriens reduxit  
Natus ab orco.

Ergo sit vitæ tibi cura nostræ,  
Et famem tollas procul his ab oris,  
Cuius immitis feritas acutum  
Prouocat ensim.

Hisce si votis fueris benignus,  
Laudibus totus resonabit orbis  
Et tuum nomen super alta cæli  
Sidera tollet.

*Pro pluuiia impetranda.*

**R**Ursus ingratos iterare questus  
Fata nos cogunt, madidosque fletu  
Ad domos alti nitidas olympi  
Tollere vultus.

Hic enim noster residet Creator,  
Qui dolet, moesti quoties dolemus,  
Nec preces nostras patitur fugaces  
Ire per auras.

Phœbus

Phœbus ardentes ciet igne flamas,  
 Et sinum terræ grauidum, profundas  
 Sulcat in rimas, radiisque succum  
 Excoquit omnem.

Prata canescunt, moriuntur herbæ,  
 Æstuant campis segetes, laborant  
 Lustra siluarum, violata frondes  
 Excutit arbor.

Qua prius cursum fluuii tenebant,  
 Nunc rotat siccum boreas arenam,  
 Pabulum frustra riguosque fontes  
 Bruta requirunt.

Insonat passim regio querelis,  
 Et tuo coram DEVS alme vultu  
 Strata, cum fletu gemituque sursum  
 Brachia tollit.

Parce crudeles cumulare plagas  
 Ausa nec turpis scelerata culpæ,  
 Sed tuum qui nos moriens redemit  
 Respice Natum.

Propter hunc nostræ miserere fortis,  
 Et tuo metam statuens furori,  
 Exhibe tandem manifesta blandi  
 Signa fauoris.

Conuoca nubes, pluuiamque siccas  
 Funde per terras, recrea perustas

Germinum fibras, vegetante sulcos  
Imbue riuo.

Redde felicem segeti vigorem,  
Fontium brutis resera meatus,  
Vallibus flores, viridesque filuis  
Suffice frondes.

Quid sumus, pœnis ita quos fatigas?  
Nil nisi sumus, cinis, aura, puluis,  
Flos agri, cuius subito nitorem  
Decutit austera.

Ergo nos vitæ potius reserua,  
Et voles si quos abolere pœnis,  
Impias gentes abole, tuique  
Nominis hostes.

Nos DEVM nullum nisi, te fatemur,  
Spemque credentes animo fouemus,  
Quod tui fletum populi precesque  
Spernere nolis.

*Arma ecclesiæ aduersus diabolum,*  
*Ephes. 6.*

**D**Onec in his terris vitales ducimus auras,  
Sunt nobis fortis bella gerenda manu.  
Vis quia terribiles contra nos excitat hostes,  
Dextra dat assiduum datque sinistra metum.  
Non tamen est omnes inter crudelior ullus,  
Quam princeps stygiis qui dominatur aquis.

vt

Ut lupus arcano scrutatur ouilia gressu,  
 Innocuum CHRISTI sic obit ille gregem.  
 Hic quibus & telis sit depellendus & armis,  
 Incautis ne qua sit grauis arte rogas?  
 Consule tharsiaci præcepta fidelia vatis,  
 Fortiter instructum te satis ille dabit.  
 Spes galeam præstet, deuota precatio telum.  
 Sit gladius verbi vox, clypeusque fides,  
 Iustitiae thorax præcordia tegmine condat,  
 Baltheus est veri, si tueatur, honos.  
 Tunc rutilo tandem suras incluseris auro,  
 Si bene confortet pax tibi corda DEI.  
 His ita munitus prodi, sis fortis in hostem,  
 Commenda CHRISTO cetera, victor eris.

*Ob fugam vacui, quod dicimus, Hymnum  
 quendam sacrum, latine redditum,  
 adiungere placuit.*

**C**ur mea conficiam damnosis pectora curis?  
 Et varia in poenas anxietate premam?  
 Si mihi propitius DEVIS est, si CHRISTVS egenti,  
 Non interrupto iunctus amore manet.  
 Hunc mihi quis rapiet? quis fur, quis latro, quis hostis  
 Auferet? & cælo quis spoliabit homo?  
 Cælo, quod quamquam nondum contingere fas est,  
 Anticipare tamen speque fideque licet.  
 Matris ut ex vtero frigidas sum natus in auras  
 Non escam, nec opus, nec leue tegmen habens:  
Sic

Sic quando vitam communia fata reposcent  
     Nil mecum moriens ad monumenta feram.  
**Mens, corpus, sanguis, lux & bona diuitiaeque,**  
     Omnia sunt summi munera sola DEI,  
**Quæ sibi si rursus capit, aut concedit alii,**  
     Non minus eximio semper honore colam.  
**Si iubet, ærumnas patiar multosque dolores,**  
     Extra spem positus non tamen esse volo:  
**Namque quod imponit nobis Diuina ferendum,**  
     Hoc eadem tollit diminuitque manus.  
**Sæpe meis faustos successus rebus in orbe**  
     Præbuit & placidus vela secunda dedit;  
**Cur ego non aliquos iam, quos immittit, acerbos**  
     Fortunæ casus sustinuisse velim?  
**Ipsa DEVS bonitas bonus est & fallere nescit,**  
     Et sancta constans in bonitate manet.  
**Quam merui poenam vindex non exigit omnem,**  
     Peccato potius lenior ira meo est.  
**Nil mihi præterea satanas & turba malorum,**  
     Possunt, quam laceris insiliisse iocis.  
**Sed DEVS illorum faciet ludibria vana**  
     Atque sibi noto tempore perdet eos.  
**Qui dedit ex pacto dulci sua nomina CHRISTO,**  
     Inuictum se se magnanimumque gerat.  
**Quin licet iniiciat diram mors vltima falcem,**  
     Concidat hinc animo non tamen ille suo.  
**Nec vero toti per fata suprema perimus,**  
     Quæ finem faciunt omnis in orbe mali:  
**Sed mors ipsa vias pandit, quibus itur ad astra**  
     Ac incorrupti gaudia magna poli

Hie

Hic ego post tantos animi cordisque dolores

Æterno plausu lætitiaque fruar.

Non vere bona sunt, bona quæ vocitare solemus,

Quidquid & in mundo cernitur, omne perit.

Siue leues habeas fabuli teneasue maniplos

Seu bona, discrimen non tamen inter erit.

Excruciant animos & opes & vana voluptas,

Nec placidum quemquam, si velit, esse finunt.

In cælis vero bona sunt, quæ dicere vera

Possumus & CHRISTVS me recreabit eis.

O DEVS, o Pastor meus, o fons lætitiarum,

Tu meus atque Tuus sum quoque rursus ego.

Tu meus es, quoniam vitam pro me posuisti

Atque ego sum, quoniam Te retinebo, Tuus

O sine me, sine me dulces contingere sedes

In quibus amplecti Te sine fine licet.

*Precandum ante labores.*

**Q**Uicumque fideliter artes  
Didicisse cupidine fertur,  
Faciat pia vota, nec umquam  
Exposcere numina cesset.

Neque enim labor ille beate  
Succedet & altius ibit,  
Aliis neque proderit olim,  
Quem non DEVS adiuuat ipse.

**Q**uis nauita vincula soluat  
Ratis & det carbasa ventis,  
Nec supplice voce Iehouam  
Roget, vt sua cœpta secundet?

**Q**uis

**Quis iugera fulcet aratro,**  
**Aut semina spargat in agros,**  
**Oculos nec ad æthera tollat:**  
**Bene seminibusque precetur?**

**Sic quilibet adgrediatur**  
**Opus omme suoque labori**  
**Citius non instet agendo,**  
**Quam rite pieque precatus.**

*FINIS.*



*Qd 3042*

*(A2461697)*


*VDB77*

*mc.*





### Farbkarte #13



613355  
CASPARIS  
PRAETORII,  
CONSVLIS OLIM PALAEO-  
BRANDEBURGENSIS,  
CARMINA,  
QVAE EXSTANT  
SACRA,  
IN  
FESTOS ET DOMI-  
NICOS TOTIVS  
ANNI DIES:  
QVAE  
LVCI PVBLICAE DENVO EXPOSVIT,  
VITA AVCTORIS PRAEMISSA,  
IO. CASPAR. CARSTED.

---

PROSTANT IN OFFICINA WOHLFELDIANA,  
BIBLIOPOLAE BRANDENBURGENSIS  
MDCCXXXII.